HISTORIA NAVALIS.

Autore THO. RIVIO, *Regis in* Anglia Advocato.

Spes orbis terrarum ad ratem confugiens remisit ſæculo ſemen nativitatis. lib. Sapient. *cap.* 14. *v.* 6.

LONDINI:
Typis THO. HARPERI.
MDCXXIX.

Robert Travers

Syn. 8. 62. 56

387.01

SERENISSIMO Potentisſimoque Principi, Domino noſtro CAROLO, *Angliæ, Scotiæ Franciæ, & Hiberniæ* Regi, Humilis Maieſtatis ſuæ in Anglia Advocatus *Tho. Rivius S.*

CElebratur apud Platonem, Sereniſſime Principum, Virorum optime, Clementiſſime Domine & Rex noſter, Biantis, (hominis ut ferebatur Sapientiſſimi) elogium, quo in mare navigantes

nec inter vivos nec inter mortuos habendos esse dixit: quippe qui ita in vicinia mortis semper agitent, ut nunquam ab ea septem digitis remoueantur. Id qua Minerva dixit Bias, viderit Plato, viderint Philosophi: quibus illud semper cum leuissimis poetarum commune fuit, in omni oratione mare naufragijs infame reddere. Ego certè, horum hominũ, seminortuorum scilicet, & nihil prout ab umbris distantium, egregia in mari patrata facinora nunc scribere aggredior. Quanquam, ut mihi quidem videtur, ipsæ res, à tam claris ducibus, tanto consilio, tanto animi robore & virtute gestæ, earum autores in plena vita fuisse satis indicant. Nisi forte quis

quis Themistoclem, Luctatium, Austriacum, nostros denique homines, Draconẽ, & Candisiũ, neque vivos neque mortuos, sed somno oppressos, res tantas egisse somniet. Nam ad mortis vicinitatẽ quod attinet, quis non videt, à salo & à solo tantundẽ ad mortem esse viæ? Calcavit nouã ita pridem Maiestas vestra terram Hispanicam: transivit & Oceanum: dubium utrum maiore discrimine: Nos certè, de vita fortunisque vestris, ut par erat, solliciti, maris sævitiam minus exhorruimus. Veruntamen si tanta sint maris pericula, quanta à Philosophis esse prædicantur, eò certè digniores sunt Nautili isti, qui inter vivos recenseantur: quandoquidem per tam

densa pericula patriæ suæ salutem, sibi vero ipsis gloriam quærere non dubitarunt. Itaque non solùm vixerunt, præstantissimi olim Nauarchi Gubernatores & Nautæ verum etiam viuunt: &, si quid hæc mea in scribendo tenuitas, vestris auspicijs adiuta, possit, memoria hominũ sempiterna viuent: atque ita viuent, ut præclarissimis omnium temporum ducibus, quiterræ res gesserunt, nullo laudis & bonoris genere cessisse dignoscantur. Vestra modò Sublimitas, cæptis bisce meis clemẽtèr annuat, & primitias has, quo seruorum suorum studia solet, vultu placido suscipiat: Reliqua deinceps, si vitam mihi Deus, si per te otium dederit, denique

nique ſi digna videbuntnr, acceptu-rus. Deus opt. max. Maieſtati veſtræ multos annos, & vel æternam, compoſito mox bello, pacem, vel perpetuam in bellis, ſive terra ſive mare gerundis, victoriam largiatur.

Humillimus Maieſtatis veſtræ

ſervus & Advocatus

T. Rivius.

Ad Lectorem.

QVum frequens de trieconteris, penteconteris, longisque navibus, & triremibus, de navibus item tectis & conſtratis, in præſente opere fiat mẽtio, operæ pretium me facturum eſſe exiſtimabam, benevole lector, ſi in ipſo libri limine, veras vivaſque earũ effigies, (vt ex antiquis marmoribus deſũptæ extant,) hic graphicè depictas conſpectui tuo exhiberem. Multis utique de cauſis, id noſſe, tibi non inutile inter legendum fuerit: inter alias, illa, quòd fabricæ ipſius & apparatuum tenuitate perſpecta, incredibilem alioqui navigiorum vel extructorum vel perditorum numerum minùs, virtutem verò militũ magis demirabere. Vale & me ama.

T. Rivius.


Triremis



T. Krotus.

THO. RIVII
Historiæ
NAVALIS
Liber Primus.

Præfatio.

REs terra gestas multi olim scriptores multis literis prodiderunt, quæ verò mari contigerunt, paucis. Itaque nemo hactenùs repertus, qui res marinas ut hîc, illîc, apud autores dissectim positæ reperiuntur, in unum Historiæ cumulum

coniectas legentiũ oculis ſubijcere curauit. Mihi verò res cauſaſque navales quartum iam annum in ſuprema Curia Admiralitatis Angliæ tractanti, neſcio quo pacto, ſed ipſe quodam modo navalis fit animus. Noctes certè & dies oculis meis obuerſari ſolet, humani ingenij cum horrendis pelagi tempeſtatibus conflictantis vis: pugnarum in mare commiſſarum cum numero coniuncta magnitudo; ſummorum Imperatorum & ducum in hoc genere laus: tota denique nauigandi ratio. Quapropter rem profecto ipſam dignam eſſe judicavi, quæ ſua & integra Hiſtoria in notitiam hominum aliquando perferretur, ſi indolem materiæ parem natura præbuiſſet. Nec ego ab hoc incæpto forſitan deterrerer, niſi quam ingenij viribus, tam etiam a forenſibus negotijs otio hoc tempore deſtituerer. Quoniam igitur integram non licet, ideo, quod licet, brevem hanc de rebus ad mare pertinentibus Hiſtoriam ſcribere inſtitui. In qua, quæ gentes, quique viri, rei navalis gloria maxime claruerunt: quæ prælia, quibus artibus, quantis viribus, quo eventu, ſuis quæque locis & temporibus in mare pugnata potiſſimum celebrantur; denique a quibus initijs, quibuſque

que incrementis, Res nautica, rudis illa quondam & vel a littore formidanda, eam nunc ſui fiduciam conceperit, ut ventos ipſos tempeſtateſque ſpernere videatur, oſtenſurum me eſſe non diffido; certam inde ſpem habiturus, ſi (quod oro) Deum Opt. Max. maris illum ventorumque arbitrum, me ab ultimæ antiquitatis littore ſolventem ad præſentis hujus ſæculi ſpatium, tanquam ad votorum meorum portum ſui numinis Fauonio proſequentem ſenſero.

PRimus navium autor & inventor erat Deus. Dei monitu & cõſilio, primam navem fabricabat *Noah*: mirandi quidem operis, & ſtupendæ magnitudinis, ſed humano generi ſalutarem, & plenam myſterijs machinam. Hanc, quod recta deſuper eſſet, & ad aquas, quæ magno impetu de cœlo ruituræ erant, arcendas undique communita, Arcam nominabant. Simplex enim erat illa navis fabrica, nec alio, quam prouidentiæ divinæ velo, remigio, gubernaculo regebatur; quibus demptis, quid aliud fere eſt, quod nos hodie navem appellamus, quam majuſculæ molis arca? Neque vero navem

hanc in exemplum à posteris, navigandi causa, tractam fuisse legimus; sed breuioris formæ ratibus omnes utebantur. Post aliquot deinde sæcula, navem lógam fabricabat Argos: ex quo navis ipsa Argos dicta, & qui in ea navigabant Argonautæ appellati Horum princeps erat Iason, Thessalia oriundus: comites vero, Castor & Pollux, Hercules, Telamó, Orpheus, & alia ex Græcia, clarorum virorum nomina. Hi primi mare navibus tentasse perhibentur. Hi velleris aurei, quicquid illud erat, quod in Colchide servari dicebatur, fama exciti, classem eò dirigebant. Et inde quidem Iason, Vellus aureum, sed cum eo, Medæam uxorem, hoc est, domus suæ incendium et pestem retulit: ut isto veluti augurio portentum fuisse videatur, ex maris usu magnas quidem opes, sed ingentia simul mala humano generi comparari.

Scio quidem Diodorum Siculum, hunc, quicunque demum ille sit, in nave longa primùm nauigandi titulum, Iasoni præreptum, Sesostri Ægyptiorum regi attribuere. Quippe quem, cum quadringentarum longarum nauium classe mare Rubro egressum non solùm Arabiam omnem maritimam, verùm etiam Indiæ universam cis & vltra Gan-

Gangem oram nauticis copijs expugnaſſe referat: Nec eo contentum navem quandam ex cedro, ducentorum octoginta cubitorum longitudine, auro exteriùs, intùs verò argento celatam, Thebarum Deo conſecraſſe. Verùm rem alioquin ſuſpectam, temporum ratio in alterutram partem falſitatis arguit. Alij enim Scholiaſten Apollonij in Argonauticis ſequuti, Seſoſtrim Oro Iſidis & Oſiridis filio ſucceſſiſſe tradunt: cuius regni initium, ad ſexcenteſimum viceſimum non amplius à diluvio annum referunt. Id ſi ita eſt, ſatis, vt quidem puto, conſtat hos tantos apparatus luxuſque nauticos illorum temporum non fuiſſe. Alij verò eum perpaucos ante bellum Trojanum annos regnaſſe malunt. Herodotus certè Protea Ægyptiorum Regem, Menelaum, dum conjugis ſuæ raptorem perſequeretur, hoſpitio accepiſſe ait: ante quem Pheronem, ante illum verò hunc de quo loquimur Seſoſtrim, Ægyptiorum regnum proximè tenuiſſe narrat. Qui ſi non fallit calculus, aperta profecto res eſt, Seſoſtrim vſque adeo citra Iaſonis tempora regnaſſe, ut in hujus prærogativæ diſceptationem cum eo venire non poſſit. Quæ ſi non eſſent, tamen quum ipſi in

quibus illa à Diodoro traduntur libri, *De fabulosis Antiquorum gestis* inscribantur, quis non videt, nulla autoris contumelia, rerum ipsarum fidem antiquari? Nos vero qui rerum navalium seriem tradere statuimus, veram historiam, quantum assequi possumus, scribendo sequi decreuimus. Ea autem hanc, sive laudem, sive fortunam Iasoni tribuit.

Iasone vero reverso, non quievit Hercules, sed novi hujus inventi fiducia fretus, cum classis illius parte, Trojam appulit; Ibi Laomedonta Regem, notum perfidia & periurijs caput, ob legatos suos contra jus gentium violatos mactasse, vrbem vero ipsam recens tum munitam, dirutis mœnibus euertisse dicitur.

Sed ut maris primùm a se tentati decus Græci præceperunt ita primam ejusdem Dominio occupati gloriam Cretensibus reliquerunt. Horum Rex erat Minos, iustitiæ unicum in terris illo tempore exemplar, quique apud Platonem, propter sapientiam, Iouis sceptro, hoc est, diuino quodam animi consilio Cretam rexisse perhibetur; Hic multum terra, mari omnia poterat: primus in mari classe depugnasse memoratur. Multas ille insulas in Ægæo mari,

mari, quod nunc *Archipelago* dicitur, occupauit. Multas etiam ciuitates in Græciæ & Aſiæ continente poſitas ſuo imperio adjecit. Sed non alia re vlla tantum ſibi nominis & gratiæ comparabat, quam quòd mare ſuo tempore infeſtum piratis, pacatum reddidit, & liberam commercij viam ciuitatibus aperuit. Hinc illi mari imperium omnium conſenſu attributum: Hinc primus maris Dominus appellatus. Græci enim olim, & ex Aſia littorales nonnulli, quum navigijs inter ſe poſt Iaſonis tempora conſuêſſent, ad piraticam converſi, nihil primùm tuti mercatoribus in mare relinquere; creſcente inde audacia in terram egreſſi ciuitates & vrbes, ſi quas parum munitas & injuriæ opportunas reperiſſent, vi aggreſſi deprædabantur. Inde omnia præ ſe agentes & ferentes ad mare tanquam ad poſſeſſionem ſuam ſe recipiebant. Itaque Minos, ſatis ſuperque periculorum in mare eſſe arbitratus, prædones iſtos tanquam omni ſcopulo nocentiores è mare ſuſtulit. Nec quiſquam poſt tot ſæcula, vno Pompeio Magno excepto, repertus, qui Minoa in illo laudis genere vel æquare potuit, vel æmulari cõcupiuit. His rebus elatus, & nihil non armis ſuis pronum eſſe ratus,

Dædalum, quem capitalis fraudis accuſatum carcere incluſerat, cuſtodia elapſum, & cum claſſis parte in Siciliam fugientem perſequutus, graue bellum Siculis inferebat. Erat Dædalus genere Athenienſis, regia ſtirpe procreatus, ſed qui ingenio, & multiplici manus artificio omnes illius ſæculi mortales anteiret. Is quum occiſo Athenis ſororis ſuæ filio, in Cretam ad Minoa profugiſſet, res ejus navales multum ingenio ſuo promovebat. Etenim, quum ante illa tempora, rudes ad hæc opera homines, magni ponderis naves, ſola remorum vi impellerent, hic vela & malos & antennas, & ſi quæ alia ad ea pertinebant, nauibus aptabat. Inde orta fabula Dædalum ceratis è Creta pennis in Siciliam aufugiſſe: Vbi à Rege Cocalo receptus, nec repoſcenti Minoi deditus, longi difficiliſque belli, inter duos potentiſſimos tum Reges cauſam præbuit, in quo, cæſo demùm Minoe, ingenti rurſus claſſe (ut eſt apud Herodotum) Cretenſes comparata, Regis ſui mortem vlciſcendi avidi, in Siciliam navigabant.

Hîc miretur fortaſſe aliquis, qua ratione Cretenſes, primi omnium ad tam excelſum gloriæ navalis faſtigium aſpirauerint. Multis

tis autem id rationibus fiebat. Imprimis Regis ipſius virtus, deinde ſubſidia illa ad navigandum ab ingenioſiſſimo opifice comparata, poſtremò loci ipſius ſitus id poſtulabat: cujus ea erat oportunitas, ut ad maris imperium pæne natus fuiſſe videretur. Nam & toti mari vndique imminebat, & aberat inde brevi ſpatio, hinc Græciæ, illinc Aſiæ littus: in quibus degebant populi, numero infiniti, viribus infirmi, ſuis legibus, ſuiſque vrbibus vivere contenti, ſed qui nihil in commune, aduerſus communem hoſtem conſulere didicerant: Ex quo facilem Minoi ad imperium maris obtinendum viam patuiſſe docet? Philoſophorum Princeps Ariſtoteles.

Sed ut erat magna Cretenſium in hoc genere laus, ita haud quaquam perſtitit diuturna. Etenim dum quaſi facto agmine omnes procul à patria Siciliam navigant, interim vacuam cultoribus patriam ſuam relinquunt; deinde, quum toto quinquennio, circa unius urbeculæ mænia hæſiſſent, re demum infecta, impoſito navibus exercitu, abire contendunt: ſed fœdis in itinere tempeſtatibus jactati, quum nulla domum reditionis ſpes oſtenderetur; in Italia non procul Tarento ejecti conſederunt. Inde factum,

factum, ut Græci, qui Cretensium opes, jamdudum suspectas habuerant, quum jam insulam ipsam & agrorum bonitate, & situs oportunitate nobilem, non defensoribus modo, verùm etiam incolis vacuam jacere comperissent, eò statim migratione facta, populariter transmitterent. Ex illo tempore, Creta quæ prius a barbaris, qui eò cum Europa è Phœnicia migraverant, tenebatur, inter græcas civitates haberi cæpta: et Cretenses Menelao, non multò post Trojam proficiscenti, cum octoginta navibus, ducibus Idomeneo & Merione, strenuam operam navasse ab Homero prædicantur.

Locus ipse monere videtur, ut aliquid hic de ratione temporum differamus. Quæ enim hactenus à me commemorata sunt omnia ante Trojani belli tempora haud dubiè contigerunt; illud interest, eodemne sæculo an priore. Non me fugit, antiquissimum Historicum Herodotum in Polymnia referre, res Trojanas tertia demum ætate post defunctum Minoa accidisse. Sed quum idem in Clio, fabulosa veris (ut in antiquis ferè fit) miscendo, Iouem ex Europa duos filios, illum quem dixi Minoa, & Sarpedonem suscepisse tradat, jam illud extra controuersiam positum reperio, Sarpedonem

Pedonem Lyciæ Regem Minois hujus fratrem, ad Trojam à Patroclo cæſum occubuiſſe. Cujus rei etiam Maro in ſua Ænæade non ſenel meminit. Nam & Æneæam, ſuam ſortem miſerantem inducit, quod non ſibi ut Sarpedoni ſub Trojæ mœnibus oppetere licuiſſet: & Iouem Herculem à Pallantis Evandro geniti fato conſolantẽ facit, quòd non alius illum caſus in Italia mox oppreſſurus eſſet, quam qui priùs Sarpedonem, ſuam ipſius, ut ait, progeniem, ad Trojam oppreſſerat. Ex quo profecto apparet Minoa, quem primam gloriæ navalis palmam occupaſſe diximus, non ita multos ante bellum Trojanum annos floruiſſe. Quid? quòd nec ipſum Herodotum huic ſententiæ refragari comperio. Res Trojanas tertia poſt Minoa ætate contigiſſe refert. Hoc ſi quis de tribus ſæculis, hoc eſt, de tercentum annis interpretetur, errat. Tres enim ætates, centũ non amplius annos faciunt, vt ipſe Herodotus teſtatur in Euterpe. Quapropter quum res Troicas tertia poſt Minoa ætate geſtas fuiſſe narrat, hoc de annis circiter octoginta interpretari decet, idque rerum ipſarum veritati convenit. Idem de Iaſone affirmare licet: qui, ut Minoe prior fuerit, non multum tamen

tamen ab ejus ætate abesse potuit. Telamonem enim & Herculem Iasoni comites fuisse superiùs diximus: porrò Telamon Herculi aduersus Laomedonta proficiscenti comes ibat. Cujus filium Ajacem, primarium inter græcos virum ad Trojam fuisse quis ignorat? Quæ in re, ne quem fortè in nominibus errorem subesse suspicemur, poetæ hoc ipsum versibus explicantis verba apponemus. Vbi Ajax gloriatur se *Telamone creatum*, eo scilicet, *Mœnia qui forti Troiana sub Hercule cepit*. Quid? quòd Priamum tum iuvenem, & fraudis adversus legatos, (quæ belli causa,) vnicè expertem, ab Hercule Laomedonti in regno suffectum fuisse traditur. Nam ad eos quod attinet, qui Minoa centum fere annos ante Iasonem floruisse volunt, multum illi in doctrina temporum tradenda errant: nec advertunt, Medæam à Iasone expulsam Ægeo Athenienſi Theseos patri secundis nuptijs fuisse junctam. Theseam autem, quem novissimis ante bellum Trojanum temporibus vixisse nemo ambigit, ipsum fuisse, qui Taurum classis Minoïanæ præfectum, (Minetaurum scænis græcorum dictum) Atticam vastantem interemit.

Ipsum autem bellum Trojanum in tempus

tempus Iephtæ, qui judicavit Iſrael, hoc eſt, in milleſimum circiter & ducenteſimum a diluvio annum incidiſſe auctores habeo. Ex quo profecto conſtat, rei navalis ſtudium totos mille & centum à diluvio annos jacuiſſe; nec vaſtum modò & apertum Oceanum, verùm etiam mare illud concluſum, quod mediterraneum appellatur, non ab hominibus, ſed a belluis marinis fuiſſe occupatum.

Crevit à Iaſone rerum nauticarum vſus & ſcientia: aliæque poſt alias gentes, quantum quæque poterat, & vſus ferebat, navium facultatem comparabat. Itaque, ut ad propoſitum revertar; Fractis in Sicilia Cretenſium rebus, ilicò rei navalis gloria in Græciã revolabat: Græciaq; exinde ſummam habere cæpit laudis nauticæ opinionem; eò magis, quòd non multo poſt tempore, quum ad vindictam injuriæ Menelao à Paride illatæ ſumendam, Græci nominis Principes ad Aulidem conjurauſſent mille ducentarum navium claſſem ad id bellum armare valuiſſent: Ad hoc multum eos juvabat locorum oportunitas. Erat enim Græciæ ora maritima omnis, terrarum lingulis & promontorijs inciſa; quæ laterum objectu, non ſolum ſtationes & portus

portus fidiſſimos faciebant, verum etiam loca urbibus ædificandis commodiſſima ubique præbuerunt. Nam & minimis munitionibus hoſtem terra marique arcebant; & ſive mercimonia ſive bella ſpectabant, mare ad omnes occaſiones in vicino liberum & apertum habuerunt.

Non abs re fuerit, hoc loco, de navium harum forma & menſura paucis diſſeruiſſe. *Homerus* in Iliade, dum numerum navium quæ ad bellum Troianum ex diuerſis Græciæ partibus convenerant, recenſet, Bæotarum navibus ſingulis centum & viginti viros attribuit; quas autem Philoctetes adduxerat, quinquagenos. Hoc modo, ut quidem Thucidides videtur, demonſtrare volens, quæ fuit maximarum ex illis & minimarum navium quantitas & menſura. Ex maximis igitur & minimis, ſi de medijs coniecturam facere velimus, circiter nonagenos in ſingulis omnis generis viros fuiſſe conſtabit ratio. Itaque ſunt qui toti huic exercitui Trojam tranſducto centum ferè mille virorum tribuunt. Erant autem hæ naves, ſive lógæ illæ, ſive onerariæ, pro temporum illorum more, apertæ omnes, hoc eſt nullis tabulatis deſuper conſtratæ, ſed in profundum alveo patentes. In his, ſi

res

res ex piratarum occurſu pugnam poſtulabat, è prora tantummodo & puppe tanquam è vallo pugnabatur: quod in medio ſpatij erat, id remiges tranſtris ſuis inſidentes occupabant.

Nihil ad Troiam memoratu dignum navibus gerebatur. Neque enim aut ipſæ Græcorum naves ad pugnam erant utiles: nec ut fuerint utiliſſimæ, eum hoſtem habuerunt, adverſus quem navibus experiri opus eſſet. Itaque quum primùm terram cepiſſent, ſtatim naves ſubductas vallo & foſſa muniebant: inde deductis, partim in vicinas inſulas frumentandi cauſa deſcendebant, partim mare prædis agendis, ad res exercitui in oppugnatione ſedenti neceſſarias ſubvehendas infeſtum tenuerunt. Bello deinde finito & claſſe reducta, ſequutæ ſunt illæ rerum in Græcia mutationes, quæ Græcos ipſos vel Troianorum reliquijs miſerandos reddere debuerunt. Nam ut Agamemnona & Menelaum, alióſque nonnullos duces taceam, qui ſtatim reverſi graviora à ſuis paſſi ſunt, quam quæ ipſi hoſti fecerant, quotus quiſque illorum fuit, qui claſſe in terram alienam non delatus perijt? Diomedes, qui Danaûm fortiſſimus audiebat, in Italiam, eódem

eodem & Philoctetes, ſed diverſo littore, appuliſſe dicitur. Alij alio caſu abſumpti; multi naufragio perierunt. Solus Vliſſes, quaſi geminam ab eo everſæ Troiæ vindictam expetiſſent fata, & longos maris errores pertulit, & in Græciam revectus, domi ſuæ à Telegono, quem ex Circe ſuſceperat, interficitur. Vt mihi quidem ingens illa mille ducentarum navium claſſis non tam ad Troiæ excidium quam ad Græciæ exitium comparata fuiſſe videatur.

A Troiæ excidio ad Cyri maioris regnum ſexcenti circiter numerantur anni. Quo temporis curſu haud quaquam multa navibus geſta reperiuntur. Cuius ea ratio fuit, quod regnum Aſſyriorum & Perſarum, quamvis ingens illo tempore erat, tamen ad occidentem & mare minimè pertingebat. Græci verò poſt Troiani belli tempora crebrò & ipſi propter domeſticas ſeditiones in alia loca tranſmigrarunt, nec certas ubi conſiſterent ſedes tenuerunt. Mare verò ipſum, tanquam rem olim infœliciter tentatam, toto animo averſabantur. Veruntamen ne quid in hac re memoria dignum præ feſtinatione prætermiſiſſe videar, quid in quóque rerũ marinarum

rinarum genere, illis temporibus euenerit, brevitèr enarrabo.

Poſt aliquot à bello Trojano ætates, Græcia ſtabilem pacem nacta, uſque adeo hominum multitudine abundare cœpit, ut de colonijs in terras alienas deducendis omni ſtudio cogitarent. Et primi quidem Athenienſes genere Iones colonias in Aſiam minorem & Inſulas eidem vicinas deduxerunt: Vbi brevi tempore regionem cœli ſolique amœnitate ſpectabilem occuparunt. Hanc à ſuo nomine Ioniam appellabant, & in ea duodecim florentiſſimas civitates condiderunt. Quæ quum futuris temporibus propter ſanguinis coniunctionem in unum reip. corpus coaluiſſent, copijs terreſtribus navalibuſque freti, cum potentiſſimis illorum temporum Regibus bellum gerere non formidabant. Paulò deinde poſt Peloponeſij diverſam viam ingreſſi, in Italiam, occidentem verſus, colonias ſuas veluti examina emittebant. Hinc Crotona, hinc Tarentum, & aliæ magni nominis civitates; adeo quidem ut tota illa orientalis, & quà ad meridiem vergit Italiæ plaga, Græcia maior veteribus diceretur. Nec dum enim Græci prælijs navalibus aſſueverant; ſed vel mercatura faci-

enda opes, vel colonijs in vicinas regiones mittendis propaginem & potentiam quærebant

Annis demùm post Troiam captam quadringentis, aut eo amplius, exactis, Corynthij omnium primi rem navalem impensiùs adornabant: classemque ad pugnam, cùm cæteris rebus instructiorem, tum ipso genere navium, multò quàm prioribus sæculis receptum fuerat, validiorem comparabant. Genus autem navium triremes erant; tunc primùm ab Ameinocle Corynthio excogitatæ: quum anteà non nisi trieconteris, vel penteconteris, id est, triginta, vel ad summum quinquaginta remorum navibus uterentur semel autem monstratâ triremi, id est, navigiorum quæ ternis remorum ordinibus agebantur ædificandarum viâ, (ut erat facile inventis addere) mirum est, in quantam mox amplitudinem excreverit huius generis navium fabricandarum ratio. Statim enim quadriremes instituerunt Pœni. Nec ita multò post quinqueremes Salaminij: sex ordinum Syracusij. Alexander Magnus, ne quid humile spirare videretur, ad duodecim remorum versus navem apparasse dicitur. Illum deinde supergressus Ptolo-

Ptolomæus Sopater ad quindecim; porrò Demetrius Antigoni filius ad triginta remorum ordines rem pertraxit. Ptolomæus Philadelphus ad quadraginta. Deniq; Philopator, Philadelphi ſucceſſor, ſuo fretus ingenio, & omnes mortales luxu & divitiarũ oſtentatione anteire cupiens, quinquaginta, ne minus, remorũ verſibus vectari voluit. Nec iam naves ſed aggeres & moles erant. Cycladas antiqui (ut eſt apud Athenæum) & Ætnas, hoc eſt, inſulas & montes appellabant; quinquaginta ſcilicet, aut eo amplius triremium materie, ad unius navis fabricam congeſta. Vt interim illam ab Hierone Siculorum Rege extructam taceam quæ cæteros omnes non ſolum amplitudine & ſumptu, verum etiam artificio & uſu longè ſuperabat. Quibus de rebus quum ad ea tempora, per Dei gratiam venerimus, pluribus forſitan dicturi ſumus Sed ut eodem nunc, unde deflexi, redeam, hoc potiſſimum navigij genere confiſi Corynthij, adverſus Corcyræos colonos ſuos, non illo primùm tempore à ſe deſciſcentes, arma capiunt.

Erat Corcyra, Inſula, quæ nunc Corfou dicitur, Trojani belli tempore Phæacum patria: quorum præcipuum in re navali

ſtudium ab Homero in Odyſſeide celebratur. Hos inde Corynthij ſecundo pòſt ſæculo expulerunt. miſſaque colonia urbem ibi Corcyram condiderunt ; à qua tota deinceps Inſula eodem nomine appellata. Itaque Corcyræi, & Phæacum, quorum ſedes occupaverant, & Corynthiorum à quibus originem traxerant, ingenium ſequuti, rei navalis ſtudio animum omni tempore adjecerunt ; cujus fiducia, adverſus conditores ſuos infeſtis ſemper animis, bella navalia ſuſcitabant. Sed eos hoc tempore Corynthij triremibus adorti pugna navali domuerunt. Pugna quidem ipſa, non cæſorum multitudine, non navium expugnatarum numero, non arte, non ducum fama aut celebritate, non alia denique re nobili, 'eo uno tamen memorabili, quod omnium in mare commiſſarum prima,apud Thucididem in libro primo ſuæ hiſtoriæ fuiſſe prædicatur. Eam verò ducenteſimo ſexageſimo ante finem belli Peloponeſiaci (quo præſens volumen clauditur) anno pugnatum fuiſſe idem narrat Thucidides.Ex quo profectò conſtat quâ ſerò mortales ad acies in mare dirigendas acceſſerunt. Ter milleſimus ducenteſimus nonageſimus quintus aut eò circiter

ab

ab orbe condito annus agebatur, antequam ullum in mare, cuius quidem memoria extat, prælium cómiſſum reperitur. Nam quod ſuperius de Minoe Cretenſium Rege, C. Plinium ſequuti commemorauimus, *eum primùm navibus depugnaſſe*: erant illæ præ donum & piratarum fugationes & pœnæ, potiùs quàm conſerta prælia.

Nec indigna quidem erat Corynthiorum urbs, quæ huius laudis prærogativa potiretur. Etenim haud aliud per univerſum terrarum orbem Emporium, cum illo temerè comparandum repereris. Quippe quod in Iſthmo ad commercia commodiſſimo ſitum, mare ortum verſus & occaſum ſubiectum habuit. Ad Aquilonem vero & meridiem, hinc Peloponeſum inde reliquam Græciam ita attingebat, ut ab altera ad alteram, niſi per Corynthum ne commeari quidem poſſet.

Poſt Corynthios Iones, quos Athenis profectos in Aſia minore ſedes fixiſſe diximus, plurimùm ad bellum claſſe valuerunt. Quanquam & Ægyptiorum Reges eodem fermè tempore, ne ſibi quidem maris ſtudium negligendum eſſe exiſtimabant. Ex illis vero Pharao Neco, is qui

Ioſiam Regem Iudæ ad Megiddo fudit & occidit, huic ſtudio potiſſimum incubuit. Nam quum utrumq; mare, mediterraneum & Arabicum, portuoſum undíque haberet, claſſes in utróque pro viribus inſtruxit. Mox hominem Phœnicem nactus, commeatu regalitèr præbito, Lybiæ oram circumnavigare iuſſit. Is è ſinu Arabico quum ſolviſſet, extremo Lybiæ angulo (qui Bonæ ſpei nunc dicitur) circumito, flexo deinde ad ſeptentriones itinere, ad Herculis tandem columnas peruenit. Vbi mare mediterraneum inuectus, tertio demum anno, eóque pænè exacto, deſperato a Rege reditu, ad Niſi oſtia incolumis applicuit. Ad regem quum veniſſet, multa ille ſtupenda retulit, quæque fidem illis ſæculis non inuenerunt. Eò uſque ſe ad Auſtrum progreſſum, donec tandem ſolem ad ſiniſtram (quod Caneri ſtatim Tropicũ & Æquatorem, mox & brumale ſolſtitium prætergreſſo neceſſe erat) habere cœperit. Veruntamen lætus ea re Neco, quum Lybiam non magno iugo Aſiæ continenti iunctam, mare alioquin circumfluum eſſe comperiſſet, maius opus aggreſſus, ingentem ab altero ad alterum mare foſſam iuxta radices Caſij montis, qui Ægyptum à Syria

ria diſterminat, perducere inſtituit: ut ſic mediterraneo in Arabicum immiſſo, totam mox Africam à continente ſeiunctam, inſulam efficeret. Verùm medium iam progreſſus viam, deſtitit: ſive oraculo, ut volunt, ſive operis difficultate, quæ ſpe maior experiundo apparuit, deterritus. Centum enim & viginti hominũ millia in eo opere abſumpſerat. Videbatur tamen initio opus non difficile, nec adverſante natura aggreſſurus. Adeo enim inter duo illa maria terra non ſolùm humilis & depreſſa, verùm etiam, ſtagnante vbique aqua ſalſa, putris & paluſtris erat, & tota æſtuario ſimilis, ut ea olim homines imbuerit opinio, mare Mediterraneum, ſicut os ex Atlantico ad fretum Gaditanum habet, ita, hoc loci, exitum in mare orientale habuiſſe. Sed hæc omnia Regij potius luxus & oſtentationis quàm bellicæ laudis & virtutis erant.

Iones verò, de quibus dicere inſtitui, ſua claſſe confiſi, potentiſſimi tum in Aſia Regis vires minaſque contempſerunt; illi præſertim, qui Inſulani dicebantur. Etenim ex duodecim, quas dixi, Ionum civitatibus, duæ inſulanæ erant, Samos & Chios: adverſus quas quum Crœſus Lydorum Rex claſſem omnibus jam viribus adornaret,

ferunt Biantem, eum quem inter ſeptem Græciæ ſapientes numeratum accepimus, quum eodem tempore Sardeis ad Regem veniſſet, interrogatum ab eo, ecquid novi è Græcia? certè, reſpondiſſe. Inſulani enim, inquit, decem millium equitatu conducto, te confeſtim aggreſſuri veniunt. Enimverò inquit Rex, non aliam illis mentē a dijs dari velim, quàm ut Inſulani quum ſint in terram egreſſi me copijs terreſtribus oppugnatum veniant. At ille, tu quidem rectè, ô Rex: ſed quid aliud Inſulanos optare putas, quam ut te terreſtribus hactenus prælijs aſſuetum, ipſi maris & rerum nauticarum peritiſſimi quum ſint, in mare deprehenſum totis viribus aggrediantur? Vera audiebat: itaque viri prudentiſſimi conſilium haud vtique ſpernendum eſſe ratus, rerum navalium ſtudium abjecit, ſed irrequieti animi impetum ſequutus, arma adverſus ſurgentem tum Cyri Perſarum Regis gloriam convertit. Quo facto magnum quidem, ex oraculo, Regnum, ſed ſuum, evertit; & mundanæ fragilitatis, ut lugubre, ita non inutile mortalibus exemplum reliquit. Hæc ſunt ferè, quæ à bello Troiano ad Cyri Maioris imperium in mare geſta reperiuntur, pauca quidem numero

mero, nec ſpecie ampla, vera tamen, & rerum initijs convenientia.

Interim verò Iones ſummam rei nauticæ opinionem nacti, maris illius dominium ſine rivali obtinebant. Itaque qua ferocia Cræſum contempſerant, eadem & Cyri, quanquam vniverſam tum ferè Aſiam imperio complexi, potentiâ ſpernebãt: Id autem eò licentiùs faciebãt, quòd Perſæ, ut qui primi tum ad mare deſcẽdiſſent, ſcalmum in eo non habebant. Verum non erat hæc Ionibus lætitia diuturna: Cyrus enim in Perſidem, ad rerum novarũ famam revocatus, bellum Ionicum ducibus ſuis delegabat. E quibus Harpagus bellum ad ſingulas Ionum, quæ in continente erant civitates circumferendo, brevi, tempore omnes vel vi expugnavit, vel conditionibus recepit. Omnium vero primos Phocæos aggreſſus, eos relicta ſua patria ad ſedes exteras quærendas adegit: Hi claſſe profecti, primi omnium Græcorum longinquam navigationem tentare auſi perhibentur. Græciæ enim orã prætervecti, Tyrrheniam in Italia primùm occuparunt; cum Romanis, regnante tum Superbo, fœdere coierunt. Inde in Hiſpaniam profecti, in ſinu Tarteſſiaco militem ſuum expoſuerunt.

Denique

Denique Massiliæ in Galliæ angulo, Italiæ pariter & Hispaniæ contermino, haud procul a Rhodani amnis ostio, sedes suas, quæ ad hunc vsque diem perstant, secundissimis avibus constituerunt. Vnde quum latrocinijs in mari grassarentur, vtrosque simul & Tyrrhenos in Italia, qui nunc Florentini siue Thusci appellantur, & Carthaginienses in Africa, hostes sibi conscíuerunt. Hi junctis viribus centum viginti nauium classem effecerunt: qua instructi, nouis iisdis in mari illo aduenis bellum inferunt; nec illi quanquam vix vltra dimidium ejus numeri navium haberent, pugnam detrectabant. In mari Sardoo diriguntur classes; Fit atrox prælium; multa utrínque navigia deprimuntur, multa capiuntur. Demum victoria, fusis hostibus, Phocæis remansit: non illa quidem victis quàm victoribus pro tempore luctuosior. Triginta enim fere hoc prælio amissis navibus, mari postea abstinuerunt, & se græca disciplina aduersus ferocissimas Galliæ gentes, terra tutati, Romanorum postea amicitia, vrbem suam Galliæ totius longè potentissimam effecerunt.

Cyro deinde mortuo successit Cambyses filius, quo tempore floruit Polycrates, Samiorum

miorum idem & Corynthiorum tyrannus. Hic (quod haud ſcio an ipſi olim Agamemnoni contigerit) claſſem centum Penteconterorum ſive longarum navium, quas vulgato vocabulo Galeas nunc dicimus, præter triremes habuiſſe dicitur. Hic Leſbios gravi navali prælio devicit: Samios ſuos rebellantes claſſe congreſſos debellavit. Cambyſi adverſus Ægyptios, quod vltra temporum illorum fidem videri poſſit, quadraginta triremes auxilio miſit. Denique tanta erat huius viri præſertim in rebus ad mare pertinentibus fœlicitas, vt quam ſuam ipſe fortunam reveritus, ne nihil incommodi in vita ſenſiſſe videretur, heri gemmam in mare proiecitſet, poſtridie eandem in piſce receperit. Ipſe vero Cambyſes ut, nihil memoratu dignum re nautica effecit, ita illud egit, ex quo ingens in poſterum vis Perſarum Regibus ad res Græciæ turbandas acceſſit. Dum enim adverſus Ægyptios proficiſcitur, in iram re Phœnices ſibi adiunxit. Hos Herodotus, multis retro à bello Trojano ætatibus à mari Rubro profectos, in ea parte Syriæ, quam poſtea à ſuo nomine Phœniciam appellabant, conſediſſe refert. Rubri vero maris nomine Perſicumné an Arabicum ſinum intelligat

intelligat, plane neſcio. Nam & utrumque, mare, Rubrum æquè appellatum reperio & de ipſa Phœnicum origine apud authores dubitari video. Alij enim eos ex Ægypto, (quæ mari rubro ad orientem alluitur) cum Agenore quo tempore Moſes populum Iſraeliticum per hoc ipſum mare rubrum, Deo viam non monſtrante ſed faciente, in Arabiam tranſduxit, in has partes veniſſe tradunt. Alij Sidonem & Tyrum urbes olim in ſinu Perſico floruiſſe ſcribũt: Inde Phœnices oriundos, ijſdem poſtea nominibus, duas civitates ad maris mediterranei oram condidiſſe ferũt. Quibus de rebus ut nihil ego in præſenti pro comperto affirmatum velim, ita illud dubio caret, Phœnices iam inde ab initio, ut litterarum in Græciam advectarum laude, ita rerum navalium ſtudio imprimis claruiſſe. Primi ſtellam polo citimam, quam Vrſam minorem dicunt, breviſſimo cœli ſpatio circumagi notarunt: notatam primi ad nocturnas navigationes (quo nihil ante vim polarem in magnete deprehenſam, ſolertiùs ab homine inventum extitit) adhibuerunt. Qua notitia ſubnixi, vel ſedes vel opes exteras, antiquiſſimis temporibus navigando quæſiverunt. Nam ut Cadmum

ejus

ejus, quem dixi, Agenoris filium, qui è Phœnicia ſolvens, Thebas, validiſſimam in Bæotia vrbem, condidiſſe dicitur, omittam, ipſo certè belli Trojani tempore, Dido Regina, Tyro, quæ primaria Phœniciæ vrbs erat, profuga, & in Africam claſſe delata, Carthaginem ibi, notiſſimi nominis urbem, & Romani olim imperij æmulam futuram, condidit. Poſt belli deinde Trojani tempus, quum Salomon Rex Iſrael, in mari rubro, ſive Idumæo, claſſem apparaſſet, Hyramus Tyriorum Rex claſſiarios ei ſubminiſtrabat: ſine quibus fruſtrà ille claſſem ad tam longinquam navigationem mari immiſiſſet. Etenim ad Ophyr vſque auri & divitiarum petendarum cauſa navigandum erat.

Verè autem hanc longinquam navigationem fuiſſe dixerim, vtpote quæ triennij ne minus ſpatio confici potuerit. Sed ubi terrarum ſita erat Ophyr, apud homines harum rerum curioſos, præter inveſtigationis ſpem dubitari video: Quorum aliqui, quum nullum hujus nominis veſtigium à ſinu Arabico, ad orientem reperiant, hinc eſt, quod eam occidentem verſus, in America requirant. Præter itineris longinquitatem, indicio inſuper, ut ſibi quidem videntur,

videntur, non fal acissimo uti, quod quum patrum fere nostrorum memoria Castellari ò, Co umbo duce, penetrassent, ibi Circumcisionis ritum apud nonnullos regioris i ius incolas, vsu receptum repererunt. sed frustra: nec minus illi, qui Taprobanem insulam, quamvis auri argentique fœcundissimam, in medium afferunt. Nam, si alia re nulla, itineris certè brevitate refelluntur. Etenim ab Eliongabar (is portus erat in sinu Arabico, ubi classis illa parabatur) ad Taprobanem (sive Zeilan eam esse volunt, sive Sumatram) haud certè multorum dierum prospere navigantibus iter erat. Miror magis locum tam celebrem, & nec antiquissimis temporibus in sacra Historia commemoratum, adeo nunc è notitia hominum excidisse, ut nulla quæ ad eum ferat via quærentibus ostendatur. Non enim Salomon aut semel aut solus, verùm & alij sæpe post eum Reges Iudæ ad eodem illo portu classes suas Ophyr dirigebant. Binas Iehosaphat ipso illo in loco, eademque de causa instruxisse, in Regum & Chronicorũ libris memoratur: Quarum prima divino indicio, imminentis ventorum tempestatumque furijs, vix portu egressa perijt. De altera quid fiebat, ignoratur. Statim enim post-

quam

quam ſoluiſſet claſſis, Iehoſophat in fata conceſſit. A cuius filio Ioram tota mox Idumæa defecit. Qua amiſſa, nullum deinceps Iudæ Reges, in toto mari potum, ad quem claſſes ſuæ ab Ophyr reverſæ tutò appellerent in poteſtate habuerunt. Credideriм ultra Gangem, etſi nomina non reſpondeant. poſitam fuiſſe Ophyr; ea ductus ratione, quod quum eo loci, Ptolomæus Auream Regionem & Cherſoneſum collocet, Ioſephus nauticas iſtas Salomonis expeditiones referens, eas auri, eboris, & gemmarum quærendarũ cauſa, ad Auream Regionem factas fuiſſe narret. Aureæ ſcilicet Regionis nomine eum locum deſignans qui in ſacris literis Ophyr appellatur. Sed de re iſta quilibet ut volet: Illud ut dixi, certè conſtat, Phœnices ab antiquis uſque temporibus haud vulgarem ex maris uſu famam obtinuiſſe. Qua de cauſa Cambyſes, Amaſin (qui cæſo nuper Aprye regnum Ægyptiacum occupauerat) bello petiturus, horũ præcipuè ſocietatem ſollicitè ambiebat. Nec illi tanti Regis amicitiam ultrò oblatam temerè repudiandam eſſe exiſtimabant. Primùm, ne tam grave bellum ab Ægyptijs in ſe averterent. Deinde quod recentes ſibi cum Ægyptijs inimi-

inimicitiæ & bellum interceſſerant. Narrat enim Herodotus, regnante nuper Aprye, inter duas gentes non procul Tyro pugna navali bis fuiſſe dimicatum.

Cambyſes, devicto Amaſi, ab Ægypto Carthaginem uſque arma proferre ſtatuit. Verùm quum id negotij Phœnicibus demandaret, illi ſe Carthaginienſium, hoc eſt, liberorum ſuorum ſanguine ſemet polluturos eſſe pernegabant. Erant enim Carthaginienſes Phœnicum ſoboles, perinde atque Troianorum Romani. Nec Carthago modo, verùm etiam vetus Byzantium, aliæque complures urbes & civitates, tam extra columnas Herculis quàm intra à Phœnicibus veluti propagine proveneruntut ex veterum ſententia recenſet Strabo: ut mirum non ſit, Perſarum deinceps Reges huius gentis fiducia, univerſæ mox Græciæ bellum navibus intuliſſe.

'Huius vero belli cauſa & origo, erant Athenienſes, qui illo primum tempore navibus ad bellum fidere cœperunt. Erat enim quidam nomine Ariſtagoras Mileti in Ionia tyrannus; Is à Perſis tyrannide depulſus, Spartam venit. Cleonem, qui tum Spartæ regnabat adit: Mileſiam, reliquamque Ioniam Græcorum coloniam, ab hoſte barbaro

barbaro occupari queritur: Græcorum virtutem per ſe magnam, verbis majorem facit: Perſarum verò vires oratione deprimit: facile fore Græcis, & quod plus eſt, Spartanis, hoſtem armorum nec uſu nec genere comparandum Aſia pellere. Sed major erat Regis conſtantia, major prudentia, quàm ut exulis verbis ad bellum tam non neceſſarium, quàm periculi plenum capeſſendum incitari poſſet. Itaque Athenas, ſuis eas infortunijs implicaturus abit; ibi in concionem populi productus, verba facit: Ioniam cùm cæteris Græcis, tum præcipue Athenienſibus, à quibus originem trahat, curæ eſſe oportere docet: cætera, ut apud Spartanos. Vix finita oratione, fit decretum: bellum Perſis non indicitur ſed infertur. Viginti navium claſſis in Ioniam, tanquam regnum Perſarum omni Aſia pulſura, mittitur. Sed hæc claſſis ingentium malorum Græcis initium fuit. Etenim Athenienſes, quum Ioniam appuliſſent, Sardes, Lydiæ caput, Crœſi olim Regiam, non procul à mare ſitam expugnarunt: cujus rei nuncius quùm ad Darium Suſis tunc agentem veniſſet, adeò rem indignè ſimul & dolenter tulit, ut Iovem extemplò de vindicta adverſus Athenienſes comprecare-

tur. Deinde ex famulis ſuis uni juxta ſtanti mandaſſe dicitur, ut quoties ſibi cœna apponeretur, ter ei inclamaret, *Here, memento Athenienſium.* Haud irritæ cecidere minæ: ſtatim enim Phœnicum claſſe adjuncta, Lesbon, Chion, aliaſque in mare illo inſulas, tanquam in itinere occupavit. Quæ quum denuò (ut ſolent recens victi) rebellaſſent, ſequuta eſt illa Perſarum contra Inſulanos, ad Ladam pugna, omnium ab orbe condito ad illum vſque diem in mari commiſſarum maxima. Erat Lada, parva quædam Inſula, urbi Mileſiorum ex adverſo jacens: ubi quum occurriſſent, confeſtim claſſes in cornua diducunt. Erant Ionibus triremes trecentæ tres: Duplex ejus numeri Perſis: acuebat hos vincendi gloria, illos libertatis tuendæ ſtudium, &, quod acerrimum rebellantibus telum eſt, ex offenſa veniæ deſperatio. Itaque ingentibus ſtatim animis concurrunt: nec ſuus Perſis profuiſſet numerus, niſi Samij, qui dextrum tenebant cornu, ſtatim inito certamine, incertum quo conſilio, ſublatis velis pugna exceſſiſſent: et jam media acies eo latere nudata, hoſtium incurſibus patebat. Itaque pauciores à pluribus circumventi, quum ſe a ſuis deſertos cernerent, acriter tamen

tamen reſiſtebant, nec quod agerent habebant reliqui, niſi ut turpitèr proditi honeſte morerentur. Hujus pugnæ fortunam, ſequuta eſt Mileſiorum vrbis, in cuius conſpectu edita fuit, direptio: Sami deſolatio: Chiorum internecio, & inſularum illius tractus omnium, quàm facilis, tam fæda depopulatio.

Iamque Darius Athenis, totique adeo Græciæ imminebat ferox. Quare proximo ſtatim ineunte vere, Mardonium, Generum nuper aſcitum, ad Græciam perdomandam mittit. Is quum ad mare deſcendiſſet, Cilicibus, Cyprijs, Ægyptijs, & quibus maximè fidebat, Phænicibus naves ſocioſque navales imperat; partem exercitus pedeſtri itinere profectam, ſibi ad ipſius Ponti os & anguſtias, quà breviſſimus ex Aſia in Europam traiectus, occurrere iubet: ipſe cum reliquis, nave ſtatim conſcenſa eodem properat: ubi recepto exercitu & in Europam traiecto, dum circa Athon montem, Thraciæ littus radit, ſubitò coorta ventorum vis, fædum in modum claſſem afflixit: trecentæ triremes omni apparatu bellico inſtructæ, & in his viginti hominum millia perierunt: pars fluctibus oppreſſi, pars à belluis marinis, quibus

mare illud nondùm classibus subactum abundabat, hausti: pars scopulis allisi. Mardonius, naufragio elapsus paulò pòst, tanquam dux bello parùm utilis, a Dario revocatur, & in ejus locum suffecti, Datys genere Medus; & Artaphernes Darij ex fratre nepos.

Hi magnis exercitibus in supplementum conscriptis ad mare veniunt. Ibi naves cùm alias, tum novi nominis, Hippagogas, hoc est, equis ferendis aptas, quas Darius anno superiore tributarijs suis imperaverat, accipiunt. Hoc modo instructi cum sexcentis expeditis triremibus, sine maris aut ventorum injuria, tutò in Thraciam appulerunt: ubi milite exposito, sexcentorum millium exercitum trahentes Athenas ire pergunt. Sed illis in Atticæ finibus, ad campos Marathonios occurrit, cum delecta militum manu Athenienſium Dux Miltiades. Vbi ex adverso constiterunt acies, rem oculis æstimanti, haud quaquam par congressus futurus videbatur. Vndecim enim non amplius millium exercitum habuit Miltiades, sed illum animorum & irarum plenum: Hi, signo dato, non gradu vadunt, sed turbinis instar in prælium ruunt: quæ res primo statim impetu

impetu hoſtem avertit: Fuſi fugatíque Perſæ, ad mare quod lævorſùm in propinquo habuerunt, fugiunt: hæret fugientium cervicibus Miltiades: Perſæ navibus conſcenſis altum petere conantur. Athenienſes in ipſas naves pugnant; harum alias expugnant, alias incendunt, nec jam pugna in littore ſed ſtrages erat. Erat in illo prælio quidam genere Athenienſis, nomine Cynegirus: qui cum hoſtes navem quandam multa vi à terra molientes conſpexiſſet, accurrit; dextram gubernaculo pro remora injecit: ea bipenni abſciſſa, idem & læva tentaſſe dicitur: qua etiam ablata, ad poſtremum, dentibus rem aggreſſus eſſe memoratur: planè ut quod vis virtuſque efficere non poſſet, ſaltem rabies pro patria auſa fuiſſe videretur.

Re terra marique malè geſta Datys & Artaphernes, Perſarum duces terrore perculſi in Aſiam refugerunt: Vbi vero hujus pugnæ fama ad Darium perveniſſet, novos ſtatim exercitus, novas claſſes parari jubet; ſed his rebus occupatum mors oppreſſit: Ei verò Xerxes filius in regno quum ſucceſſiſſet, ſive contumeliæ acceptæ inſolentia, ſive Græciæ perdomandæ cupiditate motus, toto ſtatim animo ad Græciam

invadendam exarſit. Sed quum Ægyptij eodem tempore rebellaſſent, hoc imprimis incendium reſtinguendum eſſe cenſuit. Itaque Ægyptios terreſtribus ſimul navalibuſque copijs aggreſſus, primo regni ſui anno profligauit: profligatos durioribus quam prius conditionibus, ne de facili poſtea ſe commovere poſſent; oneravit. Rebus deinde in Ægypto conſtitutis ad bellum Græcis inferendum ſeſe convertit; ſed prius quam illud aggrederetur, totum triennium apparatibus faciundis inſumpſit. ita quinto demum regni ſui anno, Suſis cum exercitu omnium, qui unquam fando auditi fuerant, maximo proficiſcitur. præcipua tamen eum apparatuum nauticorum cura tenuit: Claſſem enim omnis generis navium quatuor mille & ducentarum habuit: ex illis mille & ducentæ triremes, reliquæ à triginta ad quinquaginta remorum naves erant: quarum quæ maximæ erant, ducenos & triginta, quæ minimæ, circiter octogenos aut eò amplius, quà milites quà remiges ferebant; totus vero exercitus circiter quinquies centenis & octoginta millibus hominum conſtabat. Hæc tanta, tamque immenſa claſſis in montem Athon primum impetum effudit.

Erat

Erat Athos, & nunc eſt, editiſſimum & notiſſimi nominis in mare procurrens promontorium; inter Ponti os, & Helleſpontum ad Europæ latus in Thracica poſitum; Iſthmo, veluti jugo quodam, unius milliaris & trientis latitudine continenti iunctum.

Hunc Iſthmum Xerxes, ne promontorium ipſum, quà Mardonij claſſem nuper confractam fuiſſe diximus, circuire cogeretur, depreſſa in immenſam altitudinem foſſa, perfodere cupiebat. Fit foſſa, tantæ latitudinis, ut binæ illac triremes, immiſſo iam mari, paritèr & laxe tranſire poſſent. Magna olim mortales cupido inceſſit, ex peninſulis inſulas faciendi: ſed illi omnes munitionis ferè & tutelæ ſuæ cauſa talia excogitabant. Hic ſtulta quadam gloria, & importuna potentiæ ſuæ oſtentandæ cupiditate, alieniſſimo ad id loco, & adverſante natura, opus perfecit, cuius ne veſtigia quidem, paulò poſt tempore, coëuntibus rurſus inter ſe montibus, apparuerunt: Iſthmo perfoſſo, & novo hoc itinere claſſe transmiſſa, Helleſpontum quem nunc S^ti. Georgij brachium appellamus, quà mare eſt rapidiſſimum, navibus iungere feſtinat. Verùm primum eius conatum

fruſtrata eſt ingens orta in mare tempeſtas. Quo audito, ira percitus, & veluti ne quid ſimile in futurum tentarent maria, exemplo cauturus, tercentum Helleſponto verbera infligi juſſit. Deinde, quum pontus veluti feſſum mutando latus adhuc vehementiùs ſe commoveret, compedes ei injecit: verberibus & compedibus adiecit verba, quæ hominem veſanum & ad ſuum exitium ex propinquo tendentem facilè oſtenderent, & pro uno, duos inde pontes mari inſtruxit: quorum altero exercitum, altero iumenta & impedimenta reliqua in Europam transduceret. Transducto exercitu nihil antiquiùs habuit, quam ut claſſem luſtraret: itáque è curru in navē tranſcendit, reſidénſque ſub aureo veluti cælo, & prætervectus navium proras, omnia oculis perluſtrabat: Demaratum Spartanum ſpectatiſſimi ingenij virum, apud ſe eo tempore exulantem ſubinde interrogando, ecquem ſe beatiorem crederet.

Erat eo tempore Athenis, ſumma nobilitate vir Themiſtocles, nuper inter primores civitatis receptus. Is magnam de ſe virtutis & conſilij opinionem, ab ineunte ætate in animis civium concitaverat. Iuvenis

venis adhuc, Æginetis, quòd nulla cogente neceſſitate Perſis ſe dedidiſſent, bellum indicendi author fuerat: Quo bello Æginetæ, gravi prælio navali ab Athenienſibus ſuperati, omnem deinceps potentiæ in mare potiundæ ſpem amiſerunt. Quoniam verò jam tum bellum Græciæ à Perſis imminere prævidebat, ideo populo ſuaſit, ut eas tunc naves contra Æginetas ædificatas vellent, quæ contra Perſas uſui aliquando eſſe poſſent. Egit inſuper privatim publicéque cum civibus ſuis, ut rebus nauticis, plus cæteris, ſtuderent: et in copijs navalibus præcipuam & potentiæ & ſalutis ſpem collocarent. His prudentiſſimi viri monitis Athenienſes poſt pugnam Marathoniam, ducentas triremes fabricaverant: cumque adventante jam Xerxe, conſulto oraculo, reſponſum tuliſſent, ut ſalutem ſuam ligneis mœnibus tuerentur, Themiſtocles, ut erat præſentiſſimo ad talia ingenio, per lignea mœnia, navium, quibus tum plurimùm abundabant, præſidium oraculo ſignificari docuit; perſuadet deinde, patriam non mœnia ſed cives eſſe: Athenas ibi eſſe ubi ipſi eſſent, non ædificia; melius denique eos ſalutem claſſi, quam urbi, ad obſidionem & vim tolerandam non utique firmiſ-

firmiſſimæ crediturosque: Probato conſilio conjuges liberoſque cum rebus pretioſiſſimis, ad inſulas quaſdam remotas deferunt: Ipſi, Duce Themiſtocle, pro patria pugnaturi naves conſcendunt. Iamque Xerxiana claſſis, Pelion montem, non procul ab Attico littore, pervenerat; ubi quum totam noctem ad anchoras ſtetiſſet, ſub ipſum diluculum, atrociſſima tempeſtas ab Aquilone ingruit; quadringentæ naves, eæque inſtructiſſimæ, paucis horis unà cum remigibus & defenſoribus illa maris rabie deſideratæ. Huc acceſſit incredibilis onerariorum, aliorumque minorum navigiorum multitudo: adeo quidem, ut tertiam totius claſſis partem, antequam in conſpectum hoſtium veniſſent amiſſam fuiſſe conſtet.

Interim Themiſtocles quùm tacitas inter ſe Græcorum iras, rebus communibus obſtare, & ſaluti publicæ periculum afferre, animadvertiſſet, offenſas mutuò condonandi, & lites componendi author fuit: Æginetas, cum quibus grave nuper bellum Athenienſibus fuerat, ad belli ſocietatem pro ſalute Græciæ, cujus ipſi pars erant, ineundam pertraxit: legatos ad Gelonem, Siculorum tyrannum, ſocietatem & auxilia petitum

Petitum, de communi Græciæ conſilio mittit.

Erat Gelon temporum illorum Rex terra marique potentiſſimus: navibus verò plus quam univerſa Græcia poterat. Cum Carthaginienſibus bellum grave & diuturnum, fæliciter geſſerat: multaſque de illis victoriarum palmas prælijs navalibus reporta verat. Hic, percepta Themiſtoclis & Athenienſium legatione, mentionem de ſocietate non gravatè audijt: milites, frumentum, pecuniam, ſed ante omnia ducentas triremes apparatiſſimas miſſurum, uel etiam ſe, cum illis venturum reſpondit; ſed eâ lege, ut ipſe, ad hoc bellum, Græcorum Imperator renuncietur: id ni fiat, ſe, nec ipſum venturum, nec pereunti Græciæ ſuppetias laturum dixit. Quod quum audiuiſſent legati, eminuerò indignum eſſe rati, ſi Athenienſes, quibus maris tutela conſentientibus Græciæ ſtudijs commiſſa fuerat, homini Siculo imperio cederent, re infecta redeunt.

Græci igitur, quum nullum jam externorum auxiliorum ſpem haberent, privatis opibus adnitendum rati, contractis in unum centum octoginta triremibus, ad Artemiſium, non procul à Pelio, unde vi tempeſtatis

tempestatis Persas dejectos fuisse diximus, conveniunt. Erat autem Artemesium in faucibus Eurypi, qui est inter Atticam & Eubæam, positum; infesta planè classi statio: nam & venti ab utriusque terræ Eubææ & Bœotiæ prælatis montibus subiti ac procelloſi decidunt, & fretum ipsum Eurypi, non septies in die, sicut fama antiquitus ferebat, tēporibus statis reciprocat, sed temerè in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur, ut nec nocte nec die quies navibus ferè detur. Veruntamen hunc locum multis rationibus prælio navali deligendum, censuit Themistocles: primùm, quod introitus esset ex Hellesponto navigantibus in Græciam, deinde quod si eo loci cum hoste confligere oporteret, propter angustias, hostis satis ad universam classem suam explicandam spatij habiturus non esset; sed pari secum numero concurrere cogeretur. Nec hostem latuit, istud à prudentissimo duce consilium strui. Itaque ducentas ex omni numero delectas triremes diversa parte insulæ circumnectas, à tergo se Athenienſibus ostendere jubet, dum reliqua classis à fronte incurrit, ut sic undique concluſos adoriri possent. Ad hoc exequen-

exequendum noctem proximam ſumunt. Verùm medium jam curſum tenentibus ſæviſſima tempeſtas, ventus, imber, tonitru, fulgur increbuit; quibus factum eſt, ut ex toto illo numero nulla navis effugeret, ſed ad unum omnes cum nautis & propugnatoribus oppreſſæ interirent.

Erat hoc alterum claſſi Xerxianæ cælitùs inflictum vulnus: quod quum Perſæ ignorarēt, poſtero die, ex ſtatione cum tota claſſe provecti, Athenienſibus ſe oſtendunt; id modò expectantes, ut ducentæ triremes, quas veſpere miſſas diximus, ſublato clamore hoſtes à tergo aggrederentur. Athenienſes, quum nec ipſi quid illa nocte Perſis acciderat, cognitum haberent, ad Eurypi fauces, ut conſtituerant, claſſem inſtruunt; fit prælium non longum, nec incruentum tamen: nox prælio finem fecit. Poſtridie, quum neutram partem fortunæ ſuæ pœniteret, ſtationibus egreſſi iterum belli aleam tentant. Hic funeſtum & dirum Perſis ſpectaculum occurrit; dum enim ad pugnam ſe comparant, cadavera ſuorum, ventis eò delata, navium proras, & remorum palmulas præpediebant. Fit tamen pugna priori & ratione & eventu non diſſimilis: Tertio demùm die, Græcis auxilio quinquaginta

tres

tres triremes Athenis missæ supervenere: simulque nuncius, Barbaros, qui Eubæam circumvehebantur, omnes naufragio perijsse. Vtraque res Athenienſium animos, à duobus prælijs utique non secundissimis saucios, reficiebat. Persarum vero duces, tum indignè ferentes se à tantula classe tam grauiter vexari, tum à Xerxe, si per Eurypum in Græciam non pervasissent, supplicium timentes, tertiò jam educta classe pugnandi Græcis potestatem faciunt; qui quum paululum extra fauces progressi, ibi immoti starent, Persæ, lunata, quod nunquam ante usurpatum legimus, classe procedentes, hostium naves circumveniunt; tum vero Græci ne deterius stantibus contingeret, naves in adversum concitant. Nunquam Græci tantis animis, tantis viribus concurrerunt: sed quantum ipsi virtute & rerum maritimarum usu, tantum hostes navium multitudine & velocitate præstabant; Itaque post longum & difficile certamen, multis utrinque vulneribus acceptis, multis captis & demersis navibus, æquo marte discessérunt; victoria tamen barbaris remansit. Mare enim proximo, Græci retrocedentes, liberum hostibus in Græciam transitum reliquerunt. Accidit autem

autem ut eodem tempore, & nauticus Perſarum exercitus per Eurypum, & pedeſtris per Thermopylas, cæſo Leonida Spartanorum Rege, viam in Græciam aperirent.

Xerxes voti compos quum in terram Atticam deſcendiſſet, totam regionem agendo ferendo depopulatus, ipſas Athenas, cum tectis, Templa, fædum in modum concremavit. Vbi paucos dies, victoriæ fruendæ cauſa, commoratus, quum Athenienſes Eubæa digreſſos, ad Salaminam Inſulam nova ſubſidia præſtolantes ſubſtitiſſe ex transfugis comperiſſet, ad mare deſcendit, de Concilij nautici ſententia res, quæ ad mare pertinerent, adminiſtraturus; deliberatio erat, prælio navali, iterum cum Græcis decertari oporteret necnè. Vbi conſediſſent, Sidonis & Tyri Reges honoris cauſa primi ſententiam interrogati, prælio decertandum, haud ambiguis ſuffragijs, eſſe cenſuerunt. Erat in ea claſſe, quædam nomine Artemeſia Halicarnaſſæorum Regina, quæ cum quinque triremibus Regem ad hoc bellum non officij magis, quam auxilij cauſa proſequuta fuerat: Multa illa, ad Artemeſium, multa alijs in prælijs belli facinora ediderat; ut quidem Græci magna præmia propoſuerint, ſi quis ejus vel vivæ vel

vel mortuæ caput retulisset. Hæc sententiam dicere jussa, de sua opera Regi hactenus navata paucis præloquuta, multis vivisque rationibus contendebat, ut subductis navibus Rex deinceps mari abstineret: illa præcipuè, quòd si omisso mare, rectà inde Peloponesum cum exercitu contenderet, momento fieret, ut Græci jamdudum malè inter se cohærentes, re communi neglecta, ad sua quique tuenda dilaberentur. Omniũ sententijs auditis, Xerxes Artemesiæ consilium tanquam summa ratione subnixũ collaudavit: sed satis Persas ad Salaminam trahentibus, majori sententiarum numero stari jussit. Iamque ad Salaminam Græci, cum tercentum & octoginta triremibus, præter minora navigia; hostium adventum præstolantes constiterant, quùm subitò, nullo certo auctore, allatus de Xerxe Peloponesum versùs cum pedestri exercitu profecto nuncius, omnium, præterquam Athenienſium, animos à pugnæ navalis cogitatione avertit. Id veritus Themistocles, singulos circuire, prensare, rogare, præcipuè vero Eurybiadem Spartanorum ducem, totius classis præfectum, monere, & precari cœpit, ne pravo consilio, Græciam perditum jam iret; neu lignea

mœnia,

mœnia, quibus ex oraculo fidere oporteret, ſuis nunc manibus diſtrahere & convellere properaret: ſi ad Salaminam perſtarent, opes, gloriam, victoriam in manibus eſſe: ſi inde digrederentur, exitium Græciæ & interitum portendi. Vera dicebantur; ſed autorem leviorem faciebat, quòd Themiſtocles patria ſua extorris, alienam in mari periclitari, facile paſſurus videbatur; ſcilicet, inquiunt, æquum eſt, nos de regione captiva, deque Athenis, quæ jam nullæ ſunt, prælio navali decernere, dum Sparta & Argos, & tota Pelopis inſula defenſoribus nuda, infeſto hoſti pro præda obijciatur.

Themiſtocles quum nihil iam præter contumelias & convitia audiret, concilio egreſſus, anceps & audax conſilium capit, quodque ex eventu famam habiturum apparebat; fidum ad barbarorum duces nuntium mittit; qui Themiſtoclis nomine ſalute dicta, denunciabat, Græcos metu perculſos, fugam in craſtinum adornare; poſſe omnes uno loco conſtrictos uno prælio deleri; caverent ſibi Perſæ ne hoſtem è manibus elabi paterentur; nevè præſentem rei benè gerendæ occaſionem amitterent, quam nequicquam poſtea requiſituri viderentur:

rentur, non fallaciùs consultum, quam stulte creditum; media statim nocte Persæ, ne quid summo mane agendum restaret, classem instruunt; totam Salaminam, copijs freti, tanquam indagine circumdant; ipse Rex in montis verticem procurrit, ut inde, & prælij spectaculo frueretur, & suis pugnantibus, ad rem strenuè gerendam incitamento esset. Græci, quum iam hostem sibi undique circumfusum cernerent, ex necessitate virtute facta, & ipsi in pugnam alacres pro Græciæ salute pugnaturi procedunt. Adversus Phœnices, qui summam ex adversa parte rei nauticæ opinionem obtinebant, consistunt Athenienses. Spartani ut qui rebus navalibus exercitatissimi non essent, Ionas deposcunt. Fama tenet Persas illo die conatu & virtute seipsos longe supergressos: eò magis, quod in conspectu Xerxis, atque exercitus, res gerebatur, ut nullum paulò fortius ignaviusuè factum, latere posset. Omnes enim colles & loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, à Xerxe & exercitu tenebantur; sed insuperabilis erat Græcorum vis. Pugna igitur commissa, ingens illa Xerxianarum navium multitudo, ut erat ab initio non inscite explicata, ita primo statim congressu,

congreſſu, ordines non tenuit, ſed aliæ alijs implicitæ hærebant; in quas, ut erant impeditæ, ſervatis ordinibus cum impetu incurrunt Athenienſes; & rem arte Themiſtocles adjuvabat; non enim ante roſtra ſuarum navium hoſtili claſſi obvertit, quam ſtata hora advenit; quæ ſingulis diebus ventum validum per fretum, quod inter Salaminam & Heracleum interiacet immittere ſolebat; qui quum à puppe flaret, Græcis navibus utpote levioribus in curſu vim addebat; idem vero barbaras, quibus adverſus ſpirabat, non ſolum in curſu, quum incitarentur, impediebat, verum etiam roſtra earum avertit, & obliquas vulneribus obijciebat, in hoc prælio primo ferè congreſſu cecidit Ariamenes claſſis regiæ præfectus; vir ſtrenuus, & inter Xerxis fratres longè præſtantiſſimus; cuius corpus quum in mare decidiſſet ab Artemeſia Regina inter naufragia agnitum Xerxi ad ſepulturam tradebatur; ſero veſpere multis ſuorum myriadibus amiſſis, in fugam Perſæ cõvertuntur, Qui cladi ſupererant (erant autem ut ex tanta multitudine non multi) Athenas ſe recipiunt, nec mora Xerxes habito conſilio ad Helleſpontum, quà venerat, magnis itineribus contendit; ſed

quum pontes ibi tempestatis vi solutos reperisset; navigio transmissus, vbi Asiam tenuisset, Sardes primum, deinde Susas petijt; veritus, ne quid ibi rerum novarum, ex calamitatis suæ fama, conciretur.

In hac pugna ex parte Persarum Artemesiæ Reginæ emicuit virtus; adeo quidem ut ipse Rex fœminas sibi in illo prælio, viros, viros autem fœminas fuisse diceret. Quo dicto suos quidem omnes, maximè tamen Tyrios & Sydonios perstrinxit. Ab his enim, quum gloria à maioribus accepta primarij semper in mare bellatores haberentur, fugæ initium factum viderat. Itaque quos primos fugam capessentes oculis notaverat, ad se vocatos in vestigio interfici mandavit. Inter Græcos quum in communi concilio de singulorum virtute quæreretur, Lacedæmonij, quandoquidem nullum de suo corpore nomen profiteri possent, ne tamen rei gestæ palmam Athenienſibus (quorum inter omnes conspicua erat illo die virtus) deferretur, malis artibus tenuerunt ut ita per præconem pronunciaretur: *Ex civitatibus Æginam, ex viris Amyniam in pugna ad Salaminam optimè meruisse.* De Ægina prælata nulla planè constabat ratio. De Amynia hoc tantum, quod

quod ex præfectis triremium primus in Prætoriam Perſarum navem incurriſſet; eaque perfracta, ducem ipſum Ariamenem Darij ut diximus fratrem ſua manu occidiſſet. Quod quamvis per ſe ingens ad gloriam decus erat, quantulum tamen fuit Themiſtocli comparatum? Viro ad Græciæ tutelam & ſalutem nato. Qui quum in omni genere, Græciæ decus haberetur, tum rebus nauticis ita omnibus præcelluit, ut ſolus ad hanc diem repertus fuerit, qui cognomento *Naumachus*, hoc eſt, bellator navalis diceretur. Iamque ſecurus à Miltiadis tropæis dormire potuit: maiorem quam ille, & in præſenti, & ad poſteros rebus geſtis conſequutus gloriam: hujus enim opera, virtute & fœlicitate, adeo expreſſa eſt barbaris confeſſio, ſe rebus navalibus Græcis amplius pares non eſſe, ut quum paucis poſt diebus, circa Micalem, in Aſia promontorium, Athenienſibus occurriſſent, navibus ſubductis, claſſe contendere longè recuſarent, ſed in terram egreſſi, hoſtem operirentur, itaque & ipſi Athenienſes relictis navibus in terram deſcendunt: hoſtes magno prælio vincunt: inde ad mare regreſſi, claſſem hoſtium incendunt; efficiunt denique ne formidabile

illud priùs Persarum nomen, maris fortunam sibi vnquam postea tentandam esse existimaret. Dum hæc in Græcia geruntur, grave interea bellum Siculis Pœni inferunt. Etenim Xerxes, quo primum tempore Græciam opprimendi consilium inibat, legatos Carthaginem vsque ad societatem & fœdus cum Pœnis contra Græcos ineundum miserat. Communicatis consilijs, ita res composita, ut quo tempore Xerxes in Græciam transmitteret, eodem Pœni in Siciliam traijcerent. Quod eorum consilium, adeo clam omnibus & secretò habitum servatumque est, ut ne leviſſima quidem famæ aura ea de re ad Siculorum aures perlaberetur. Legatis dimissis, Pœni, magna pecuniarum vi conflata, mercenarios ex Italia & Liguria, Gallia etiam & Hispania conducunt. Ex Numidia præterea & Carthagine ipsa, delectu severissimè habito, militem conscribunt. Denique toto triennio in apparatibus faciundis cõsumpto, trecentorum millium exercitum, quinque millium navigiorum classem conficiunt, è quibus duo millia longarum erant, cæteræ ad commeatum, & forum ferendum onerariæ. Huic tanto exercitui classique Amilcarem præficiunt. Iamque de Xerxis in

Græciam

Græciam adventu fama Carthaginem pervenerat, & Amilcar imperio accepto, inde ſolvens Siciliam verſus vela faciebat. Sed in traiectu, ingens claſſem tempeſtas adorta, navigia quibus equí curruſque ferebantur dimerſit omnia. Amilcar tempeſtate elapſus, cum reliqua claſſe, Himeram in Sicilia appulit. Ibi milite expoſito, bina locis oportunis caſtra, altera navalibus, altera terreſtribus copijs accipiendis occupavit, tum quicquid longarum navium erat, in caſtra nautica ſubducit; ea profundiſſima foſſa & muro ligneo prælto munit, moxque Himerenſes ad opera impedienda vrbe temerè egreſſos fundit fugatque. Quibus rebus territi Himerenſes legatos properè ad Gelonem Syracuſarum tyrannum opem & auxilium petitum mittunt. Hic eſt ille Gelon à quo Græcos communi conſilio adverſus Xerxem ſocietatem & auxilium fruſtra petijſe ſuperius dixi. Sed quod Græcis per æmulationem non conceſſit, id Himerenſibus, & vicinis, & ultimo periculo ni ſubveniatur ſuccubituris identidem negandum non eſſe ſtatuit. Veterem ducem rebuſque aſſuetum movit, quod nulla tum Pœnis cum Himerenſibus non magis quam cum ipſis Syracuſanis belli cauſa in-

tercedebat. Apparebat occaſionem pro cauſa capi; totius profecto Siciliæ dominatum à populo externo armis peti: ad id gradum perHimerenſium oppugnationem & cædem fieri. Minime tamen omnium id quod erat, ſuſpicari potuit, Perſis cum Pœnis interpoſito fœdere conveniſſe, ut eodem temporis momento alteri Græciam alteri Siciliam occuparent. Quicquid autem erat, tam vicinum incendium ſibi haud quaquam negligendum eſſe ſtatuit. Itaque nulla mora interpoſita cum expedito quinquaginta quinque millium exercitu Himeram contendit. Ibi Pœnos per agros palantes oportune nactus, magnum eorum numerum cecîdit. Decem mille cepit, reliquos trepidantes in caſtra compulit. Poſtero die dum edito in colle ſtans caſtra navalia oculis ſubjecta contueretur, ſubibat animum ejus cogitatio, ſi quo modo claſſem hoſtilem incendio delere poſſet. Cogitanti fortuna adfuit; ſpeculatores ad itinera ſervanda miſſi, tabellarium à Selynuntijs, quos Pœnus nuper in ſocietatem pertraxerat, ad Amilcarem cum litteris miſſum capiunt; in illis litteris perſcriptum erat, Selynuntios equeſtres copias die ab Amilcare præſtituta ex fœdere miſſuros.

Dies

Dies erat, qua ſacrificium Neptuno inſtauraturus Pœnus erat. Nocte igitur diem illam præcedente, Gelon ſuos equites emittit: ſimul mandat ut montes proximos circumvecti, incerta adhuc luce, via à Selynunte Himerum ferente ſe oſtenderent, & ad navalia hoſtium caſtra, ubi ipſe Amilcar tum agebat, tanquam Selynuntiorum equites, curſu tenderent. Interim ſpeculatores in colle caſtris imminente diſponit, juſſos quamprimum equitum turmas intra præſidia receptas viderint, ſignum tollere. Ipſe inſtructa acie, occaſionibus intentus, ſignum à ſpeculatoribus expectat. Iamque equites, ad caſtra hoſtium aduentantes intra præſidia, lætis Pœnorum animis, utpote fraudis & inſidiarum ignaris, veluti cõmilitones recipiuntur, mariſque injuria ſociorum fide magna parte levata videbatur: Cum ſtrictis repente gladijs, impetum in Amilcarem milites Geloniani faciunt, ipſum ad aram, ſicut erat, ſtantem, & ſacrificijs intentum mactant, ſimul ſocios obtruncant, & naves ſubjectis ignibus paſſim incendunt. Et iam ſigno à ſpeculatoribus, ut conſtitutum erat, accepto, cum univerſis copijs aderat Gelon; ſed illi ex campeſtribus caſtris, quum quid in navalibus agere-

ageretur ignorarent, magna vi occurrunt Pœnorum duces. Maior quam pro tempore cædes utrinq; edebatur. Sed flamma, repente è navibus surgente, simul nuncio de Amilcaris nece allato. Pœni abiectis armis, quà quisque poterat, fuga saluti consulunt. Gelo, ne cui viro parceretur, edixit: missis autem qui fugientes ad cædem persequerentur ipse ad navalia hostium castra se vertit: Ibi cæsum Amilcarem, ferrumque & flammam omnia occupantem cernit, vix ut tuta victoribus statio intra castrorum septa relinqueretur. Ita bina navium longarum millia, præter onerarias, cum ipso duce & flore exercitus, cum remigibus socijsque navalibus horæ momento in cineres redacta. Ex navibus tamen viginti (quas pridie Amilcar ad usus necessarios forte deduxerat) altũ tenentes evaserunt: sed & hæ in reditu omnes naufragio perierunt; pauci modò milites scaphis excepti, infaustæ expeditionis nuntium Carthaginem retulerunt. Gelon, rebus ad votum in Sicilia compositis, quum hanc tantam belli molem non ab ipsis Pœnis, sed à Persis originem traxisse ex captivis resciuisset, ultrò iam offerendum ratus, quod prius petentibus negasset, cum quingẽtarum navium classe,

Græciæ

Græciæ laboranti contra Xerxem opem ferre ſtatuit. Navigaturo mercatores Corynthо advecti nunciant, Græcos ad Salaminam egregiè viciſſe: Xerxem copijs exutum trepidò in Aſiam refugiſſe. Compertum poſteà eſt, eodem die Gelonem caſtra navalia Pœnorum expugnaſſe, & Leonidam Spartanorum Regem ad Thermopylas contra Xerxem fortiter pugnantem occubuiſſe. Geſta ſunt hæc omnia anno ab urbe Romana condita ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Cæſone Fabio, & Spu. Furio Coſſ. à mundi exordio anno ter milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Annum ideò ſignare volui, quod non alium in hiſtoria temerè repereris, in quo tot tantæque res terra marique, tam diverſis orbis partibus geſtæ referantur.

Sed ut è Sicilia Athenas redeamus, erat illo tempore Athenis, quidam nomine Cimon, Miltiadis, eius qui ad Marathonem de Perſis victoriam reportavit, filius: is ab adoleſcentia ingenio ad Muſicam & Rhetoricam, cæteraſque artes Atticas rudiore erat: ſed ad res gerendas unicè à natura comparatus. Hic quùm in omni genere bellicæ laudis conſpicuus eſſet, rerum tamen

men navalium palmam omnibus ante se natis, ipsique adeò Themistocli præripuit: cuius quidem indolis speciem, ineunte statim ætate dedisse, & facto ad posteros memorabili tyrocinium posuisse dicitur. Nam quo tempore Themistocles, Persis ingruentibus, populo suadebat, ut urbe, & regione Attica relicta, mari se fortunasque suas crederent, multitudine ad novitatem consilij stupente, hic repentè adolescens, inspectante populo, hilari vultu in arcem ascendit, frænum equo detractum manu ferens; ipsúmque Minervæ, arcis præsidi consecravit: illa quasi tessera, dijs hominibusque testari volens, non iam equestri robore, sed navali præsidio, iuxta Themistoclis sententiam, remp. indigere. Quo facto, votisque Minervæ rite nuncupatis, ad mare descendit: rebusque fortiter ad Salaminam gestis ingentem favorem apud cives pariter & socios comparavit: multique ad eum accedentes enixè hortabantur ut rempub. maturè capesseret, & iam nunc patre Miltiade & Marathone digna cogitaret. Quum igitur non ita multò post amicorũ hortatibus ad remp. se contulisset, magna statim ciuium gratia exceptus est; qui senescente iam Themistoclis gloria, ad summos illum magistratus

magiſtratus & honores vocabant. Itáque Medis è Græcia fugatis, miſſus ille copiarũ navalium Dux (quum nondum penes Athenienſes rerum ſumma eſſet, ſed ſub Pauſaniæ Spartanorum Regis imperio omnes militarent) ſuum munus privatim obeundo, omnium in ſe oculos convertit: milites enim ordine militari intentos, corpore vigentes, animo alacres, & ad ſubita imperia paratos ſemper habuit; quumque demum Pauſaniam, ad Regis Perſarum partes propendentem, multáque adverſus cives & ſocios crudeliter audentem cerneret, & ipſe privatus quamvis eſſet, Ephoros Spartanos harum rerum per litteras certiores fecit, & Pauſaniam iam apertè graſſantem intra Byzantij mœnia obſedit: quo inde elapſo, quum aliud quod in præſenti ageret, non haberet, mare Ægæum prædonibus purgavit: quod factum maximam ei non ſolùm Athenis, verùm etiam tota Græcia & gratiam & gloriam conciliavit. Auxit deinde viri opinionem, conſilium prudentiſſimum ab eo initum, quo Athenienſes, iam ante potentes, poſteà maris plane Dominos effecit. Quum enim ſocij tributa quidem ex præſcripto haud inviti penderent, naves autem & milites non

non pari fide & promptitudine præberent; (quippe qui Medorum formidine jam soluti, tantum belli sumptum non libenter facerent) cæteri quidem Athenienſium duces, eos ad ſingula ex formula præſtanda adigebant: aut ſi ſatis non feciſſent, delinquentes in jus trahendo, inviſos ſe, & imperium ſuum ſocijs effecerunt. Cimon verò diverſam plane viam ingreſſus, nemini ex hac cauſa moleſtus eſſe; ſed ſi quos militiæ pigebat, ab ijs pecuniam in ſtipendium non gravate accipere; inde Athenienſes alios, & ſubinde alios, atque alios eoſque ſolos in claſſem conſcribere, uſum maris edocere, ad nauſeam ferendam adſuetiores reddere; denique ſociorum, quorum ſtipendijs alebantur, dum illi domi deſidebant, brevi tempore Dominos efficere.

Eodem tempore, Athenienſes ab Amyrtæo Ægyptiorum Rege ſollicitati, cum ſua & ſociorum claſſe Ægyptum occupant. Grave hoc erat bellum, & per totum ſexennium varia fortuna geſtum. Rex Perſarum quum ipſum Athenienſium nomen jam horreret, mittit illicò Lacedæmona Megabazum pecunijs affatim inſtructum, ſi forte Spartanis perſuadere poſſet, ut cum exercitu in Atticam irrumperent, eoque facto

facto Athenienſes à bello Ægyptiaco ad ſua tuenda revocarent. Sed quum Lacedæmonij, quamvis naſcentem tum Athenienſium potentiam ſuſpectam, & ex ſuſpicione inviſam haberent, fœderum tamen reverentia, & religione obſtricti, nihil temerè movendum eſſe ſtatuiſſent, re infecta abijt Megabazus. Rex autem pecunias, quas eorum pendis Lacedæmonijs deſtinaverat, ad expugnandos in Ægypto Athenienſes convertit, belli cura alteri Megabazo Zopyri filio, Principi militiæ, demandata. Hic profectus cum exercitu, unico prælio fuſis Ægyptijs, tota Memphide Græcos expulit: & in inſula quadam, Proſopitide concluſos, per annum & ſex menſes arctiſſima obſidione cinxit. Lubrica res eſt aqua, & incertum ferè præbet obſeſſis munimentum. Exiccatis alveis, & aqua aliò derivata, effecit tandem Megabazus, ut naves, Athenienſiũ in ſicco deſtituerentur: hoc modo, itinere pedeſtri transducto exercitu, inſulã, pulſis inde Athenienſibus recepit: & ſic Athenienſiũ res, poſt ſextum demum annũ, ad nihilũ in Ægypto reciderũt: pauciq; de multis peragrata Lybia, tandem Cyrenem incolumes delati, inde alij poſt alios, tanquam è naufragio Athenas redierunt. Sed ut aliud

liud ferè malum ex alio incidit, quum eodem tempore Athenienſes, quinquaginta triremes ſuis auxilio miſiſſent; hi eorum quæ acciditſent penitus ignari, ad Proſopitidem, quam etiamnùm à ſuis teneri putabant, temere appellunt. Qui in terram deſcenderant, hos Megabazus nec opinantes oppreſſit: claſſem verò Phœnices ſubitò adorti, diſſiparunt. Qui cladi ſupererant, Athenas reuecti, triſtem male geſtæ in Ægypto rei nuntium retulerunt. Hunc exitum habuit ingens illa (ſic enim apud Thucididem audit) in Ægyptum Athenienſium & ſociorum expeditio, quo veluti documento ſi Athenienſes moniti ſapuiſſent, & ſua tueri contenti res alienas & præſertim longinquas appetere deſiiſſent, quamvis triſtem, attamen utilem infortunij ſui fructum ex Ægypto reportaſſent, ſed non ſtatuendo fortunæ ſuæ modum, & ultra urbeculæ ſuæ vires, imperium affectando, florentiſſimam rempub. non multos poſt annos funditus everterunt.

Verum ut ad Cimonem redeam, nemo unquam perinde atque ille feroces Perſarum ſpiritus retudit: ſublato enim Pauſania, quum maris imperium ſua virtute Athenienſibus confirmaſſet, claſſe profectus mariti-

maritima Aſiæ loca latè vaſtavit: quaſdam etiam civitates ad defectionem ſollicitatas recepit: receptas ſumma fide coluit: adeò quidem, ut univerſam ab Ionia Pamphyliam uſque Aſiæ regionem, quà mare ſpectat à Perſarum tyrannide liberavit: quumque paulò pòſt Perſarum duces magno cum exercitu multaque claſſe ſtationem ad Eurymedontis fluvij oſtium tenere accepiſſet: ipſe eò, cum ducentis triremibus accurrit. Erant hæ & ad pugnam & ad celeritatem optimò olim à Themiſtocle comparatæ, ſed tum Cimon, eas & latiores effecit, & tabulata, ſupra thranitas, tota nauium longitudine extendit, ut multò pluribus quàm antè inſtructæ claſſiarijs, majorem in pugnando vim haberent; nam ſi Plutarcho credimus in pugna Salaminia triremes Atticæ, ultra octo & decem milites claſſiarios ſingulæ non habebant: Quum igitur hoſtibus nil tale ſperantibus manè ſuperveniſſet, Perſæ nulla memorabili pugna edita, relictis nauibus in terram profugerunt; ut pedeſtribus copijs, quæ tum inſtructæ in littore ſtabant, ſe conjungerent: Erant Perſarum ſexcentæ triremes: ex illis ducentæ captæ; reliquæ, maxima parte vel ſubmerſæ vel debilitatæ; paucæ fuga elapſæ: Cimon milites ſuos à navali prælio adhuc

calentes verbis porrò & victoriæ ſpe, ſed multò magis exemplo ſuo ad rem terra gerendam inflammavit; ultro igitur ſublato clamore, in terram ſe eijciunt, hoſtemque in littore invadunt. Acris ibi pugna oritur: ex Athenienſibus fortiſſimus quiſque, & inter illos non pauci magna dignitate in urbe præditi ceciderunt: ſed fuſis demùm magno prælio barbaris, atrox cædes in fugientes editur.

Re terra marique eodem die bene geſta, aliud quaſi auctarium ſuis victorijs quærere inſiſtit. Octoginta naues Phœnicias, quæ matutinæ cladi non interfuerant, ad portum vicinum eadem hora appuliſſe quùm accepiſſet, celeriter eò cum claſſe navigavit; nihil illi de gemina ſuorum clade inaudiverant: Veruntamen cùm cruenta hoſtium arma, feroceſque & truces, ut ex recenti victoria, vultus conſpexiſſent, id quod erat ſuſpicati, arma ſimul & animos demittunt. Itaque nullo negotio ſuperati, fugati, cæſi, ſe claſſemque ſuam hoſtium arbitrio permiſerunt. Id factum Regis animum uſque adeò debilitabat, ut nobilem illam pacis conditionem, ſibi à Cimone irrogatam accipere non dubitaret: *Vt à mari Græco, quantum ſpatij equus uno die curriculo percurrere poſſit, hoc eſt, quadringentis ſtadijs*

ſtadijs abſtineret: nevè intra Chelidonias inſulas, Græciam verſus nave longa navigaret. Inde reverſus Cimon, Perſas quoſdam, exercitus Mardoniani reliquias, Cherroneſum, quæ eſt ſupra Byzantium, occupaſſe comperit; eô quatuor cum triremibus quum adnavigaſſet, Perſæ adjunctis ſibi Thracibus adventum ejus operiri non dubitabant. Sed facto in eos impetu Cimon treſdecim naves cepit: ejectiſque Perſis & ſuperatis Thracibus totam Cherroneſũ Athenienſium ditioni reſtituit. Inde Thaſios, qui ab Atheniẽſibus deſciverant, pugna navali vicit, captiſque tribus & triginta illorũ navibus, ipſam urbem clade territam mari aggreſſus expugnavit. Vnde Athenas revocatus, quùm civilium diſſentionum æſtu aliquandiu jactatus, animadvertiſſet populum Athenienſem bellum civile contra Spartanos, inſtigante Pericle, meditari, eos inde ad externa potius bella, abducendos eſſe ſtatuit; itaque ducentas triremes inſtruxit; ex his ſexaginta Ægypti littora ſervare juſſis, ipſe cum reliquis Cyprum navigavit, ubi claſſem Regiam magno prælio ſuperavit: inſulamque circumvectus, urbes in ora maritima ſitas, vel reſiſtentes vi cepit, vel ſe dedentes recepit; rebuſque Ægyptiacis animum advertit. Nihil enim

mediocre jam, ſed totius rei Perſicæ ſubverſionem & excidium, animo agitabat: nam quum bellum Athenienſium populò omnino placere cerneret, multò id adverſus barbaros, quàm contra Græcos, & honeſtiùs, & faciliùs geri poſſe exiſtimabat. Accendebat inſuper viri animum, quod Themiſtoclem patria ſua profugum, & à Rege Perſarum honorificè ſuſceptum in magna ibi eſſe dignitate & gloria acceperat. Charum eum Regi fecerat, quod ſe illi bellum contra Græciam molienti ducem, nec, ſe duce, dubiam victoriam fore in ſe receperat. Sed quum eximiam Cimonis virtutem, cum perpetua fœlicitate conjunctam, idque in re præcipuè navali, qua ipſe ſuo tempore præcelluerat, ſecum animo reputaret, ſeu fortunæ ſuæ, ſeu virtuti, quæ utræque incaneſcere iam cæperant, diffiſus, ipſe ſibi ſpiritum taurino, ut fertur, ſanguine epoto intercluſit. Paulò pòſt & ipſe Cimon, dum claſſem ad Cyprum in Ægyptum tranſmiſſurus teneret, moritur: Quo duorum virorum fato, Rex, Perſarum, tam quem timeret, quam cui fideret, habere deſijt.

Quanquam vel mortuus erat Cimon Perſarum nomini formidandus. Nam quum

quum deficientbus iam venis, vitæ finem adeſſe ſenſit, amicis ſuis aſſidentibus, vicemque ſuam ſimul & illius flentibus mandabat, ut corpus ſuum Athenas tumulandum reportarent. Id dum exequuntur, in itinere validiſſimæ Perſarum claſſi occurrunt. Perſæ, ſive Cimonem defunctum ignorabant, ſive facilem de claſſe duce ſuo deſtituta victoriam ſibi promittebant, arma expediunt, naves ad pugnam inſtruunt. E diverſo Athenienſes, alij alios cum toties victis rem eſſe admonentes, triſtemque hunc ſuum & lugubrem reditum in patriam, clarum & memorabilem eo prælio futurum, ſéque illo die cruentos ex recenti Perſarum cæde gladios, & rorantia ſanguine hoſtili ſpolia Athenas duci ſuo inferias laturos memorantes, magna vi hoſtem invadunt. Sævum prælium variante fortuna fuit. Perſæ & Phœnices militari ordine rem agebant. Athenienſes, vetus miles, & prælijs navalibus aſſuetus, ſine ullius imperio omnia militiæ munera, non ſequius, quam ſi Cimon ipſe vivus videnſque hortator adfuiſſet, exequebantur: diverſiſque partibus claſſem hoſtilem carpendo, univerſam averterunt. Cæduntur Phœnices toto mari diſſipati fuga: quos Athe-

nienſes ſic diſperſos longiùs inſequi non auſi, ne Prætoriam, in qua Cimonis corpus ferebatur ex oculis amitterent, receptui invicem cecinerunt, et Athenas reverſi ingentem eo luctum, gaudio tamen ex victoria miſtum, retulerunt.

Dum iſta à Cimone contra Barbaros geruntur, interea Pericles diſſidiorum inter cives ſuos & Lacedæmonios cauſas ſerit. Quæ res utique difficilis factu non erat, utpote inter populos à Medici uſque belli tempore male inter ſe cohærentes. Vrebat Lacedæmonios gloria Athenienſium, ad Artemiſiũ, ad Salaminem, ad Eurymedonta fluvium parta; qua elati, ſingulos carpendo, demum omnes in Ægæo pariter & Græco mari inter Peloponeſum & Cariam-inſulas, multas etiam ad utrumque Ponti & Helleſponti littus urbes, Seſton, Abydon, Potidæum, Perynthum, Chalcedona, ipſum denique Byzantium, quæ Conſtantinopolis nunc eſt, imperio ſuo ſubiugaverant, ſummamq; in Græcia potentiam nacti, non obſcuris gradibus ad univerſæ tyrannidem ſurgere videbantur. Athenienſes (ut ſunt ferme diuturna gentium inter ſe & populorum odia) veteris iniuriæ ſtimulabat dolor. Quum enim Xerxe Græciam

ciam invaſuro, ita cõmuni Græciæ conſilio conſtitutum fuiſſet, ut ſicuti Lacedæmonij copijs terreſtribus præeſſent, ſic rei navalis curatio & imperium Athenienſibus permitteretur, re demùm in ultimum diſcrimen adducta, Lacedæmonij vel utrobique præeſſe, vel nihil in commune agere voluerunt. Sed ea tum erat Themiſtoclis & populi Athenienſis, ex præſentis periculi ſeuſu, animi moderatio, ut nihil recuſarent. Veruntamen, turbatis poſtea in Græcia rebus, cupidiùs ſemper quàm par erat, belli anſam arripiebant: præſertim poſtquam æmulus Cimonis Pericles ad reip. gubernaculum acceſſit: multæque cædes, per occaſionem iuvandi ſocios, alijſque quæſitis hinc inde coloribus, ab alteris in alteros edebantur; ſemel etiam Lacedæmonij cum non contemnendo navium Athenienſium numero fortuito occurſu congreſſi, victoriam retulerunt; quam cladem, aucta paulò poſt claſſe Athenienſes cumulatam Spartanis reddiderunt, nec ante triceſimum & ſextum à pugna ad Salaminem edita annum certa inter duos populos conſtabat pax. Hocdemum anno, triginta annorum fœdus (quod Euboicum dicebatur) inter duos populos ictum eſt,

captáque loca invicem reſtituta. Sexto deinde anno poſt, bellum inter Athenienſes & Samios exortum eſt propter Prienem civitatem Mileſiorum : in quo quum prævalerent Samij, Athenas veniunt Mileſij, gravemque contra Samios querelam ad populum deponunt, minimè ad rem tantam, ut fama erat, valituram, niſi Aſpaſiæ ad Periclem blanditiæ & preces eodem acceſſiſſent. Fuit Aſpaſia illa tempeſtate Athenis ſcortum nobile, formoſum, ingenio inſuper & eloquentia, non muliebri, ſed quæ ſummos in illa rep. viros non dedeceret, præditum : Socrati quidem ipſi propter ſummas alioquin animi dotes non incognita ; Pericli verò corporis etiam conſuetudine coniunctiſſima. Extat porro Platonis dialogus qui Menexenus inſcribitur, in quo Socrates, ioculari quodam modo Periclem, Aſpaſiæ diſcipulum, orationem quandam funebrem multiplici rerum notitia plenam ab ea acceptam, pro ſua, ad populum recitaſſe narrat. Huius igitur interceſſione & precibus adiuti Mileſij tantum apud Periclem valuerunt, ut bellum Samijs indiceretur. Commiſſo acri prælio, Pericles quadraginta quatuor navibus ſuis hoſtium naves ſeptuaginta ſuperavit,

peravit, ac egregiam de Samijs victoriam reportavit. Victor etiã hoſtem inſequutus, ſimul portum occupavit, & urbem obſedit. Sed poſtquam alia claſſis maior Athenis venit, undique iam clauſis & obſeptis Samijs, ipſe cum triremibus ſexaginta mare petit; ut Phœnicum claſſi Samijs auxilio venienti occurreret, & quàm longiſſimè ab Samo cum ea dimicaret. Eo igitur cum tanta claſſis ſuæ parte avecto, Samiorum Prætor, ſive ob navium relictarum paucitatem, ſive ob ducũ imperitiam contemptis hoſtibus, ſuis perſuaſit, ut Athenienſes ſumma vi aggrederentur. Facto prælio Samij victoria potiti ſunt, multis hoſtium navibus captis, multis perfractis demerſiſque. Simul caſtra, quæ nullo vallo munita reliquerat Pericles, adoriuntur, eaque nemine prohibente incendunt, totoque circa ea loca mari dies quatuordecim potiuntur, quæ volebant interim importãtes & exportantes. Sed Pericle cum claſſe reverſo, rurſum circumſeſſi & concluſi ſunt. Adveniunt non multò poſt ab Athenarum urbe ſubſidio quadraginta naves, à Chio verò & Lesbo triginta; Cum hac tanta claſſe Samij virtutis ſuæ magis quàm virium memores concurre non veriti, gra-

vi

vi prælio ſuperati, nono deinde à cœpta obſidione menſe expugnati ſe dedunt, obſidibuſque datis, mœnia diruunt, naves tradunt, & magnam pecuniarum vim, poſcenti Pericli in claſſis ſumptum pendunt.

Diximus ſuperiùs triginta annorum fœdus inter Athenienſes & Lacedæmonios fuiſſe pactum. Sed tam longum otium inimicitiæ non tulerunt. Itaque alij alios, nunc terra nunc mari hoſtilem in morem prædabantur, nec ad apertum iam bellum quicquam præter nomen deerat. Iſta autem omnia Cimone in exilio agente contigerunt; Is reverſus res compoſuit. Quamvis enim nulla illi tanta oſtraciſmi ſui cauſa fuerat, quàm quod Spartanorum cauſæ plus æquo in diſceptationibus ad populum favere videbatur: tamen ut erat vir bonus, & patriæ amans, & ſingulari in rebus agendis conſtantia notus, ubi primùm Athenas redijt, renitente licèt Principe tum civitatis Pericle, amicitiam cum Spartanis ſuaſit: quæ vivo eo, ſumma cum fide & religione utrinque colebatur, mortuo verò, ad inteſtina bella ab oratoribus novis, ſtultis, adoleſcentulis pertracti, & inter ſe commiſſi, validiſſimas Græciæ vires mutuis cædibus attenuabant, & gladios,

toties

toties Perſarum & Medorum ſanguine cruentatos in ſuis ipſorum & communis Græciæ viſceribus condiderunt.

Huius mali origo fuit à Corynthijs & Corcyræis iis quos omnium mortalium primos claſſibus inter ſe concurriſſe diximus. Cauſa erat, quòd cùm Corcyræi Epidamnum civitatem, quæ poſtea Dirrachium, nunc Durazzo dicitur, Coloniam ſuam à ſe deſciſcentem ulciſci vellent, Corynthii non verbis ſed armis interceſſerant. Octoginta erant Corcyræorum triremes, Corynthiorum ſeptuaginta quinque. Hæ quum ad Actium, quod eſt Epiri in Græcia promontorium, infeſtis animis occurriſſent, grave inter ſe prælium conſeruerunt. In quo victi Corynthij quindecim triremes amiſerunt. Magna, ut in tenui fortuna, clades : pugna tamen ipſa non tam clade notabilis, quam vel loco vel eventu. Loco, quòd ibi commiſſa ſit, ubi poſt aliqua deinde ſæcula, Cæſar Auguſtus ingenti prælio Antonium & Cleopatram debellavit, pacemque terrarum orbi victoria reſtituit. Eventu verò, quòd longi illius difficiliſque belli quod inter Lacedæmonios & Athenienſes geſtum à Thucidide celebratur, cauſam præbuit. Etenim quum

quum Corynthij ad Actium ut diximus ſuperati, vindictæ cupidi, maiorem quam antea claſſem compararent, veriti Corcyræi, ne tantis apparatibus per ſe pares non eſſent, ſocios ſibi adſciſcunt Athenienſes: è diverſo Corynthij Lacedæmonios adiungunt: quorum illi navalibus, hi terreſtribus copijs reliquos Græciæ populos longè anteibant. Iamdudum Athenienſes Periclis orationibus impulſi, rerum novarum cauſas circumſpiciebant. Nec Lacedæmonij quùm iam Cimone defuncto neminem Athenis pacis cupidum reſtare cernerent, à belli ſtudiis abhorrebant. Sed quæ dixi fœdera obſtabant, quo minùs apertè in mutuam perniciem & bellum ruerent. Ea enim quum in triginta annos pacta eſſent, decimum quartum à tempore pactionis annum non exceſſerant. Fœdere autem cavebatur, *ne Lacedæmonij & Athenienſes alteri alteris, utrorúmve ſocijs bellum inferrent. Qui autem illo fœdere non continebantur eos alterutræ parti nouos ſocios aſſumere liceret,* Iam Corcyræi nec horum nec illorum ſocii erant, ſed quales nos hodie neutros ſeu neutrales appellamus. Hos igitur ſocios aſſumere, & pro iure ſocietatis aſſumptos defendere

defendere, ſalvo fœdere, ut videbatur, potuerunt Athenienſes. Id verò ita de iure fieri poſſe dicebant Corynthij, niſi ipſi prius cum illis bellum contraxiſſent. Rupto autem cõntra Corynthios fœdere, quin eadem opera contra Lacedæmonios rumperetur, haud ambigui juris erat, quandoquidem illi fœdere cum Spartanis comprehenſi erant. Re Athenis per legatos biduò ſermonibus & ad populum in concione agitata, ita diſcedunt Corynthij, quaſi rem in incerto pro tempore reliquiſſent. Itaque cum inſtructa centum quinquaginta triremium claſſe Corcyram verſus vela faciunt. Nec Corcyræi cùm in cõſpectu veniſſent moram pugnæ faciebant.

Stabant utrinque claſſes triplici ordine veluti in pedeſtri acie inſtructæ: quùm ſubitò ſe oſtendunt in dextro Corcyrenſium cornu decem triremes Athenienſium. Duce Lacedæmonio, (id erat nomen) Cimonis nuper defuncti filio; hos quum conſpexiſſent Corynthij, tanquam Deos maris horrentes, remos primò inhibuerunt: mox à Spartanis volonibus qui aderant confirmati, quicquid erat in claſſe roboris in ſiniſtrum cornu ſuum transferentes, Athenienſibus opponunt. Dato utrinque ſigno,

signo, infestas proras dirigunt: atrox pugna committitur: non arte Rhodia, qua postea cœpit gaudere Græcia, sed Marte & virtute, eratque illa pugna campestri & statario prælio similis: nam quum inter se concurrissent, non facilè jam explicare se, vel recipere, vel procurrere, nedum remos detergere, aut alteri alteros remigio eludedere valuerunt, sed milites in tabulatis & turribus corbitisque navium collocati, mutuis se inde vulneribus in vestigio hærentes conficiebant; sæpe etiam alteri in alterorum naves gradu invadebant; & adversis se invicem umbonibus urgebant; ubique magnus tumultus & confusa dimicatio erat: Interim naves Atticæ sicubi Corcyræos, novos socios, laborantes conspicerent, auxilio aderant; terrorem quidem hosti sui præsentia, incutientes, sed à pugna tamen abstinebant se: id enim in mandatis, domo profecti, à populo acceperant, Iamque Corcyræi, in lævo cornu Megarenses Corynthiorum socios in fugam verterant, sparsimque disjectas viginti eorum naves in terram usque prosequuti fuerant; quo animadverso, Corynthiorum duces mediam statim hostium aciem, ea parte nudatam, multitudine superantes circumveniunt;

veniunt; Athenienſes quum Corcyræos ſuos, ultra vires jam premi cernerent, miſſis ambagibus, apertè opem laborantibus ferunt; ante tamen cavebant, ne ipſi priores aliquem aggrederentur: at poſtquam palam fuga Corcyræorum facta eſt, & Corynthij fugientibus inſtabant, nec ſe dedentes vivos caperent, ſed ad ſtragem converſi, quoſcunque ceperant, more barbaro, obtruncarent, tum verò & illi veniſſe tempus rati, Corynthios hoſtiliter invadunt, victoriamque frementibus multo cum ſanguine eripuerunt. Erat hæc pugna, non quidem prælijs ad Salaminam & Eurymedonta fluvium, contra barbaros editis par aut ſimilis: ſed quæ inter græcos ipſos ante illum diem comiſſæ fuerant, ſive hominum ſive navium, vel multitudinem vel ſtragem ſpectes, longè omnibus præferenda: ſeptuaginta ne minus naves ex Corcyrenſibus, vel captæ, vel depreſſæ; ex Corynthijs, triginta deſideratæ: magna vis hominum utrinque cæſa: nox prælio finem fecit; victoriam in incerto reliquit. Poſtero die, Corcyræi, claſſe rurſus in altum educta, hoſtibus pugnandi copiam faciunt. Id ea fiducia faciebant, quod poſt heſternam pugnam, ſera nocte viginti triremes Athenis

nis missæ, auxilio advenissent: quo comperto, Corynthij stationibus se tenuerunt: certi non pugnare, nisi coacti: nuntium tamen, sine caduceo, ne ut hostes interpellare viderentur, mittunt; qui celoce advectus, Athenienses injuriarum & violati fœderis leniter arguebat: illi pro se haud ferociter respondent: se nec injuriarum, nec adversus Corynthios temerati fœderis reos esse: venisse jam, non Corynthios oppugnandi, sed Corcyræos novos socios defendendi causa: si aliò quam Corcyram navigare, si alios quam Corcyræos oppugnare velint, quò minùs id faciant, Athenienses non intercedere: Hac accepta conditione, Corynthij mox sublatis velis ante ora Corcyrensium transeuntes, & Athenienſibus in transitu militariter salutatis, domum redeunt. Reversi, omnia statim Græciæ conciliabula, præsertim verò Lacedæmoniorum conventus, querelibus & clamoribus adversus Athenienses implent: Nec longa erat apud Lacedæmonios disceptationis res: Rupta fœdera; bellum Athenienſibus inferendum esse decreto statuunt: nec mora inferunt.

Cuius tantæ tamque insolitæ, ut inter Spartanos, lentum & cunctatorium in consi-

conſilijs expediendis genus, præcipitationis ratio fuit; non quod vulgò ferebatur, Corynthiorum iniuria, ſed quod Athenienſes ad intolerabilẽ iam in mare potentiam creviſſe viderentur. Nam ut vetera omittantur, modò duobus prælijs navalibus devicta Samo, quantum eorum gloriæ? quantum viribus acceſſerat? Tanti nimirum momenti res videbatur, ut maior Samo ſubacta Periclis, quam exciſo olim Ilio Agamemnonis gloria fuiſſe vulgo iactaretur. Quid igitur, ſi ad Samum Corcyra nunc, mox ad Corcyram Corynthus adijceretur? quid reſtare, niſi ut, oppreſſa Græciæ libertate, pro Perſis domini Athenienſes recipiantur? nec Spartanos latuit, quantoperè illo potiſſimùm tempore Athenienſes navali ſtudio incumberent. Nempe ſi quis in commiſſum fortè inciditſet, non temere aliam delinquenti pœnam quam triremem unam pluresve, pro perſonæ aut facti qualitate ædificandam mulctam irrogabant, procoronide habituri, ſi Corcyram, quæ poſt Corynthios aliquid in mare poſſe videbatur, rebus ſuis adiunxiſſent. Id ſcilicet Pericles, & populus Athenienſis æquali ſtudio, ſed diverſo conſilio ambibant. Stultus populus, ſi Corcyram occu-

passent, Carthaginis & Siciliæ, & Italiæ, à quo non totum unius diei iter distabat, imperium animis præcipiebant. Pericles verò iosulam illam & navali potentia, & loci situ, ad bellum Peloponesiacum, (quod toto animo agitabat) oportunam, si non subditam, attamen beneficijs & societatis iure adstrictam habere expetebat. Quibus rationibus inducti Lacedæmonij, occupant bellum facere. Anno igitur à bello Medico, ut vult Thucidides, quinquagesimo, à fœdere Euboico, quod in triginta annos pactum fuisse diximus, decimo quarto, ruptis inter Spartanos & Athenienses, pacis legib⁹, bello Peloponesiaco universa Græcia conflagrare cœpit. Etenim Lacedæmonij magno cum exercitu per Corynthum in Atticam irruperunt, fœdamque & deformem ei vastitatem intulerunt, neve prædam potiùs quàm pugnam expetisse viderentur, hostem munimentis se tenentem ad pugnam provocant. Id vero indignè pati Athenienses, & pugnã poscere. Instantibus obstabat Pericles, scilicet ultionem in tempus vindictæ opportunum differendam esse monuit. Paucis inde diebus, hoste adhuc Attica vastanda occupato, centum quinquaginta navium classem silentio profectam

ſectam in Peloponeſum mittit. Hi totam illam regionem, quà ad mare vergit, circumvecti, navalia incendunt, urbes diripiunt, longius etiam in continentem progreſſi, agros latè depopulantur: non aris, non focis, non ſexui, non ætati parcunt; id modo ſolliciti, ne minorem, quàm accepiſſent, cladē reddidiſſe viderentur: magna deinde ſtrage utrinque edita, ita utrìq; domum redeunt, ut melius non exjiſſe fuerit. Altero deinde anno ſimilem incurſionem in Atticam faciunt Spartani, tantò atrociorem, quantò magis iam ex cladium acceptarum ſenſu exacerbati fuerant. Pericles verò, in eadem ſemper ſententia perſtare, hoſti in acie non occurrere: ſed tamen ne quod mouiſſet bellum, non & geſſiſſe videretur, non iam alios mittere, ſed ipſe cum centum triginta triremibus, præter Hippagogas, quibus tricenos equos tranſmiſſurus erat, in Laconicam proficiſci ſtatuit: quo quum perveniſſet, ingentem viciſſim ſtragem dedit; prorſus ut in contemplatione dānorum, longè maior ultio fuerit quàm iniuria; quaſi vero illud eſſet vincere, non ſua tueri, ſed minimo ſuo commodo, maxima hoſtem calamitate afficere: Paulò inde poſt moritur Pericles;

ſuſcitato incendio, quod non civium Athenienſium ſanguine, ſed ipſarum Athenarum ruina reſtinguendum erat.

De quo viro ſubit animum meum cogitatio, quæ in illo intuentes bona, veterum nonnulli, tam amplis eum laudibus & præconijs extulerint. Nam & Thucidides, eum civibus ſuis, &, dum viveret, dilectum, & poſt fata deſideratum fuiſſe ſcribit; & Plutarchus in ſuis Parallelis Fabio Max: (ingens ad laudem comparatio) æqualem facit. Equidem ingenium & artem quandam tractandi homines, civiumque ſuorum animos, vel ſedandi, vel, ſi oporteret, concitandi non mediocrem in eo vim & facultatem fuiſſe non negaverim; (quanquam & his ipſis, ſive naturæ ſive diſciplinæ dotibus, ad Cimonis, Ephialtis, & aliorum præſtantium virorum fraudem & exitium quotidiè abutebatur) ſed quæcunque tandem erant, erant illa, oratoris magis quam Principis boni argumenta. Fabio verò Max: quid habuit comparandum? conſtantiam credo & cunctationem. Fabius ſtatim Conſul factus, cum exercitu profectus, ſimul ac caſtra caſtris conjunxiſſet, nunquam veſtigium ab hoſte abceſſit; commeatu eum intercluſit; ſociorum agros popula-

populationibus prohibuit: Hannibalem ipſum cum ratione inſultantem tulit, temerè ſe inferentem viriliter repreſſit, victoriamque illi ſæpe de manibus extorſit; utque fortunæ, toties à Romanis infæliciter tentatæ, rem committere noluit, ita levibus ſubinde certaminibus ex occaſione, & cum ratione contractis, Trebiæ, Ticini, Thraſimeni, ipſarum denique Cannarum, ſuis dolorem & oblivionem, hoſti lætitiam & memoriam dempſit. Pericles verò, quum ſe hoſtis in Atticam ſæpius effudiſſet, non caſtrorum vallo, ſed urbis mœnibus ſe continebat; ibi tanquam in viuario, dux prudens, & cautus delituit, hoſtem verò in Attica, atque adeo ſub ipſis Athenarum mœnibus æque liberè licenterque vagari paſſus eſt, ac ſi omnis civitas Athenienſium iterum navibus impoſita ex oraculo emigraſſet. Scilicet, militem Athenienſem claſſe imprimis bonum, Spartano in acie parem non eſſe cogitabat. Non enim Miltiadem, non Ariſtidem, ſed Periclem ducem habuerunt. Illis enim ducibus non minùs ad Marathonem & Platæas, quam ad Salaminam, & Eurymedonta fluvium, emicuit Athenienſium virtus; Pericle imperante jacuit: Pericle imperante, Athenienſes,

enſes, non ordines ſervare, non pedem inferre, non hoſtem ferire, acie vincere non valuerunt. Nam quod ad res ab eo mari geſtas attinet, Samum captam ſi exceperis, opprobrium eſt commemoraſſe. Et iſto quidē modo Gallorum olim Reges cum noſtris illorum temporum Normanniæ ducibus belligerabant: ſed adeò ad extremum Principes utrorúmque ſocios huius rei depuduit pœnituitque, ut Regibus ipſis coram dicere non verererentur, ſe tam inhoneſto militiæ genere ampliùs implicari nolle. Itaque vel domi ſuſpenſis armis deſidebant, vel ad terram ſanctam ſanctiore ibi titulo militaturi properabant. Vt quid autem Pericles Lacedæmonios ruptis fœderibus ad bellum invitos & reluctantes traxit, ſi non contra hoſtem armatum de Græciæ principatu armis contendere, ſed ſatis, pecoribuſque, & inermi multitudini, tanquam infauſtum aliquod ſidus peſtem inferre cogitabat? melius Lacedæmonij; qui quum hoſtem in agris non invenirent, in mari quærendum cenſuerunt.

Itaque ut ad inſtitutum redeam, quum Spartani, nulla ſua agrorum vaſtatione hoſtem in aciem perlicere poſſent, virtute confiſi, maris fortunam tentare ſtatuunt.

Centum

Centum, quà ſuis, quà ſociorum navibus in mare deductis, Zacynthum, quæ nunc Zant eſt, inſulam nobilem, divitem, opportunam claſſe aggreſſi Athenienſibus eripiunt. Mox cum quadraginta navibus ſolventes, viginti Athenienſium triremibus occurrunt. Fit pugna, qualis inter milites & paganos fieri conſuevit. Lacedæmonij rerum navalium tractandarum adhuc rudes (quod in pedeſtri certamine, numero pauciores, & in deſperatiſſimo rerum periculo conſtituti interdum faciunt) in orbem pugnant: Athenienſes tantam hoſtium imperitiam videntes, claſſem ſuam hoſtium claſſi circumfundunt: hoſteſque introrsùs cedentes magis magiſque in arctum cogunt; propè ſemper inſtantes, & ſpeciem præbentes, quaſi iam iamque omni momento incurſuri eſſent; dux erat Phormio, quem ſi fata diutiùs eſſe voluiſſent, Themiſtocli forſitan aut Cimoni parem Athenæ ad hoc bellum ducem habuiſſent; hic ſuis præceperat ut parati, intentique eſſent, neu prius pugnam initent, quam à ſe ſignum accepiſſent. Ipſe omnia attentiſſima animi cura ſpeculatus, repetito Themiſtoclis ad Salaminam ingenio, ventum, qui tempore matutino ex ſinu illo flare ſolebat,

bat, expectabat. Quem ut coortum sensit, tum suis signũ dat, ibi Athenienses toto impetu congressi unam ex prætorijs hostiũ navibus demergunt, inde quacunq; impressionem facerent, veluti in pecudes, nemine resistente sæviebant. Etenim propter magnitudinem tumultus (tantus autem erat, ut nec mandata gubernatorum percipi, nec imperia nauarchorum exaudiri, nec remi in loco arcto & procelloso moveri possent) remo se ex diverso ad pugnam comparabat, sed effusa fuga, quà quisque poterat, diffugiebant: & antennarum cornua alia alijs implicata, ipsam fugam impediebant. Naves Phormio consequutus duodecim occupavit, milites magna parte cecidit. Ex navibus unam eamque maximam & præstantissimam Neptuno sacram esse iussit.

Nec tamen Lacedæmonij huius cladis nuncio territi animis frangebantur, sed novum confestim militem, novam classem novos duces in supplementum mittunt. Imperatori verò suo mandant, iubentque, ut se ad aliam pugnam navalem comparet, neu se è mari à tam paucis, cum Spartani nominis dedecore, & flagitio suo, pelli patiatur. Videbatur enim ijs, utpote rei navalis

valis imperitis, res inuſitata accidiſſe; nec in animos dimiſerant ducum ſuorum (quod neceſſe erat) imperitiâ & claſſiariorum in novo genere belli tyrocinium damni cauſam dediſſe; nec conferebant Athenienſium longi temporis uſum, cum recenti ſua paucorum menſium exercitatione. Tantos igitur apparatus quum fieri vidiſſet Phormio, nuncium ſtatim miſit, qui recentem ſimul ſuam de Spartanis victoriam, & novum hunc copiarum hoſtilium apparatum Athenienſibus ſignificaret: hortatur ut maiorem vim navium mittant; iterum enim & cum maioribus hoſtium copijs ſibi è veſtigio eſſe dimicandum. Dum hæc aguntur, claſſes hoſtiles in conſpectum veniunt: ſex tamen ſeptemve dies à pugna temperant. Phormio, quòd novum in dies ſupplementum ab Athenis expectaret; Lacedæmonij, quòd rem audaciæ quam virtuti propiorem putabant, ſi ipſi priores contra Athenienſes Pæana in mare cecinissent: uterque tamen dux ſuos ad prælium adhortatur: Cnemus (id erat Spartanorum Imperatori nomen) ſuos ut admiterentur paulò rogavit: turpe eſſe plures à paucioribus; turpius Spartanos ab Athenienſibus ſuperari: maris profecto poſſeſſio-

possessionem à doctis istis & eruditis hominibus Spartana duritie & virtute esse eripiendam: si semel haud incruenti è mari abijssent, quieturos: denique vim arte, virtutem peritia potiorem esse dixit. Phormio, plures à paucioribus fiducia & arte sæpe superatos fuisse monuit: maris imperium quod à patribus acceperant posteris non relinqui temporum illorum probrum & dedecus futurum esse prædicabat: denique duo illa, in omni pugna navali præcipue servanda esse docuit, *Ordinem & silentium*: satis superque in mari turbarum esse inquiens, ex ventorum, remorum & procellarum sonitu, sine convitio nautarum & clamore militum. A verbis ad manus quum ventum esset, tandem rudes illi peritos istos multitudine sua circumveniunt; & ex viginti (tot enim erant Atheniensium naves) novem intercipiunt; reliquæ ægrè elapsæ, in altum se proripuerunt. Quas viginti Lacedæmoniorũ naves consequutæ, dum pugnã incautiùs ineunt, plures à paucioribus, victores à victis vicissim superantur: ex triremibus aliquot submerguntur: sex in potestatem hostium veniunt: reliquæ vadis & brevibus allisæ: postremò etiam noven naves prius captæ, ab Atheni-

Athenienſibus recipiuntur. Inde geminata victoria Phormio Athenas cum ſumma omnium lætitia & laude ſua redijt.

Lacedæmonijs tamen animi in maius creſcere, quod non nihil ſibi in mare contra Athenienſes egiſſe viderentur; itaque ſumma celeritate uſi magnam rurſus navium copiam comparant: has milite complent & Pyræum, hoc eſt, portum Athenienſem, ipſamque Atheniarum urbem, milite deſtitutam (id enim à ſpeculatoribus compererant) occupare, funeſtoque huic bello, momento temporis finẽ ponere conſtituunt; & feciſſent, ſi venti addixiſſent. Venti, quũ ſilentiſſima claſſe portui appropinquarent, ex adverſo coorti aliò claſſem diſiecerũt. Id temporis Athenienſes ad colligendos animos, & portũ præſidijs firmandũ ſumpſerunt. Nec tamen nihil hoc incæpto actũ Lacedæmonij credere: contemptũ ſui hoſtibus dempſerant: mox & opinionẽ auxerunt: nam & Ioniæ civitatibus, nihil minus, quam claſſem Lacedæmoniorũ, ſalvis rebus Athenienſium, in illa ora expectantibus, eiſdem navibus profecti metũ incuſſerunt: & inde reverſi Corcyram, belli initium petierunt: quorum claſſe ſuperata, excentionem in terram faciunt, agros vaſtant

ſtant,& ipſi Corcyræorum urbi inſtare videbantur. Quod quum Athenienſes accepiſſent, eò confeſtim ſexaginta triremes mittunt: haud dubiè omnem Lacedæmonijs rerum à ſe geſtarũ lætitiam erepturas, ſi quà in eos incidiſſent: incidiſſent autem, niſi novi iſti in mare milites, conſiliũ nunquam antea tentatum inijſſent: quo non ſolùm ſalutem in præſens, verùm etiam ſummæ in rebus nauticis ſolertiæ opinionem ad poſteros comparabant.

Erat, & nunc eſt, (Iſthmus enim aliquando factus, vi ventorum arenas eodem congerente, rurſus continenti, ut ante, coniunctus eſt) è regione Corcyræ promontorium, quod à rupium albedine, Leucadium appellatur; hoc brevi iugo continenti coniungitur; ad alterum huius Iſthmi latus, qua urbs Leucas ſita erat, iam appulerant Athenienſes; ad alterum ſtabant in ſalo, prædæ Corcyreæ partiundæ intenti, Lacedæmonij: quibus ſub noctem, ſublatis ignibus, ſignificatum eſt, hoſtium triremes à Leucate, circumito promontorio, accurrere. Dum promontorium circumeunt hoſtes, Lacedæmonij, navibus incredibili labore celeritate & arte per Iſthmum tranſductis, in mare alterum evadunt: eoque loci

loci deveniunt, unde Athenienſes eodem veſpere deceſſerant: omneſque incolumes, eluſo hoſte, Spartam redierunt: cuiuſmodi rem, Annibali poſtea apud Tarentinos in Italia ingentem ex ingenio admirationem feciſſe teſtatur Livius. Lacedæmonijs certè hoc commentum navale tantam ubique opinionem conciliabat, ut iam non ſolùm urbes in continenti poſitæ, verùm etiam Inſulæ ipſæ, quæ ad regnum Athenienſium, ſuo quaſi iure, propter rerum nauticarum potentiam, ſpectare videbantur, illos quam hos, ſeu ſocios ſeu dominos malle cæperint.

Harum prima erat Scione, ad Thraciæ littus ſupra Helleſpontum poſita. Id verò ægrè adeò & indigne ferre Athenienſes, ut actum protenus de ſuo imperio exiſtimarent, niſi gravi exemplo iſtam Inſulanorum inſolentiã compeſcuiſſent. Itaque ſexaginta navium claſſem, eò mittunt; inſulam invadunt; urbem obſidione cingunt; tertio demum anno capiunt: omnes puberes interficiunt: impuberes & mulieres ſub corona vendunt; iſto quaſi documento Inſulanis omnibus, quid ſibi fortunæ & fati ſubeundũ eſſet denunciantes, ſi unquam ad Lacedæmonios reſpicere comperirentur:

nec

nec multos post annos Melios, simile facinus aggressos pari supplicio affecerunt. Interea verò crescentem in mari Lacedæmoniorum gloriam, si extinguere non possent, saltem modis omnibus minuere quærebant: nec cœptis fortuna defuit. Post varias excursiones in Peloponesum factas, ne prædari semper, non etiam belligerare viderentur, tandem Pylum, urbem Nestoris olim senio nobilem, vi occupant; hanc valido præsidio & opere munitam, tanquam iugum Lacedæmoniorum cervicibus imponunt. Quam quum Lacedæmonij frustra à terra aliquoties oppugnassent, magna sua, magna sociorum classe contracta, à mari aggredi cœperunt.

Quod simul ac Athenienses accepissent, læti occasione, validissima & ipsi classe profecti hostes in portu improvisò opprimũt. Erat quædam insula nomine Sphacteria, sive Sphagia, à cæde Heraclidarum, priscis temporibus, ut fertur, id nominis sortita, portui ad Pylum, veluti vectis, tota sui longitudine obiecta; in quam Lacedæmonij, quadringentos & amplius præcipuæ nobilitatis viros insulæ præsidio futuros collocaverant. Classe autem iam in portu oppressa, desperata illicò erat virorum illo-

rum

rum ſalus : utpote quibus, in deſerta quadam inſula deprehenſis, & à continente intercluſis, miſerè eſſet & ad libidinem hoſtium vel fame vel ferro moriendum. Hic caſus maſculos illos Spartanorum animos adeò fregit, & afflixit, ut inducias ſibi dari poſtularent, interim ut legatos Athenas de pace mittere liceret, petunt. Dux Athenienſis Demoſthenes, vir ſumma fortitudine, & belli artibus nemini ſecundus, id non aliter concedendum cenſuit, quam ſi Lacedæmonij naves ſuas omnes ex omni Laconica contractas pignori tradidiſſent. Traditis navibus legati Athenas eunt: inde re infecta redeunt. Verùm Athenienſes, quum claſsem hoſtium in ſua ſemel poteſtate haberent, ut eam redderent, non iuris, non religionis, non deorum, non hominum reverentia unquam induci potuerunt: nec comittendum putabant, ut Inſulani deinceps, ullum ſibi à Lacedæmonijs in mari præſidium ſperandum eſse exiſtimarent : inde ad inſulam obſidendum redeunt. Maior erat, quam ut ulla nauium multitudine circumvallari poſset ; itaque diurno tempore, binis ſemper navibus diverſo itinere profectis, & ſibi ſemper occurrentibus, ſpeculaũdi cauſa, inſulam obibant;

bant; noctu verò quà continentem ſpectabat, cum tota claſſe in excubijs erant, ne quis à terra tranſeundo falleret; ſed quà ad mare patebat Inſula, nulla diligentia præſtari potuit, quin navigia appellerent; præſertim ventis, ut fit, nocte ingruentibus; horum enim metu naves Athenienſium altum ſubinde petere cogebantur, ne vadis colluctatæ, ad littora & ſcopulos affligerentur: contrà verò Lacedæmoniorum ſchediæ, laxatis hoſtium ſtationibus, facile ex alto ad littus appellebantur. Etenim Lacedæmonij quum nullam de ſuo claſſem reliquam haberent, edixerant, ut quicunque vellent ex tota Græcia in inſulam frumentum molitum, vinum, caſeum, & ſi quid aliud cibamenti ad tolerandam obſidionem idonei eſſet, pro viribus importarent; operæ precium ſervis libertatem, liberis pecuniam ſtatuerunt. Itaque ex Peloponeſo ſolvebant, undecumque poterant; & de nocte in altum navigabant, è regione inſulæ obſervantes ventum; quo vehementius ſpirante, proni ad inſulam deferebantur. Difficile quippe erat Atticis navibus, vento coorto, inſulam obire: Illis verò ſecurus erat undique ad inſulam appulſus; non enim portum quærebant ſed littus; nec lignis, parcebant; ſed

ſed precio jam ante æſtimatas, Lacedæmoniorum periculo, naves ad terram frangere non dubitabant.

Adnatabant etiam à terra merguli quidam, quos urinatores vocant: Varro natatores appellare maluit; eos autem intelligit, qui ſe maris profundo immergentes, res ſeu caſu ſeu conſilio demerſas extrahunt; horum alij, ora, ne fluctus intrent, communiunt: alij ſpiritum diutiſſimè comprimunt, dum ima maris vada & ſcopulorum anfractus perſcrutantur: Horum præſtantiſſimi erant ex Delo Inſula; inde, veteri diverbio, ſi quid abſtruſioris diſciplinæ, & inventu difficile occurriſſet, ad eam rem Delio natatore opus eſſe dicere ſolebant. Sed ex omnibus qui in hoc genere valuerunt, præcipuus fuiſſe traditur, homo quidam Siculus, cui nomen Colan: ſingulari ille fato genitus; quique plus in aquis quàm terra degere ſolebat. Is complures ſæpe dies inter belluas marinas (tanquam Proteus alter) intrepidè verſabatur; & convivebat illæſus, haud ſecus quam ſi ex earum numero fuiſſet; idem maris intimos receſſus ſæpenumero penetrabat: inde reverſus nautas de futuris tempeſtatibus præmonebat. Nando autem tantum valu-

isse dicitur, ut maxima pelagi intervalla spatiaque immensa Delphino velocior peragraret; donec festo annuo solemnique die, in portu Messanæ, (quæ Siciliæ vrbs erat) dum pateram auream munus natantibus tunc à rege propositum, effusa omni ad spectaculum multitudine, imo mare ernere conatur, seu vorticibus ad scopulos allisus, seu à belluis voratus, nusquam postea comparuisse memoratur. Ferunt etiam Caroli quinti tempore, in Zericæana Belgiæ civitate natatorem quendam, ipso inspectante Imperatore, multa stupenda in hoc genere perpetrasse; nec desunt qui hoc genus hominum in bellis navalibus multum posse existimarunt.

Verùm ut ad institutum redeam, quum natatores illi ad Pylum in profundum se dedissent, sive vadendo, sive natando ad Insulæ littus perveniebant, trahentes secum semen papaveris melle conditum, & semen lini tritum, & si quid aliud vectura facile usui obsessis esse posset. Id primo clam excubitoribus fiebat; sed tam vigilem hostem diu latere non potuit; Ita utrique artes excogitabant: illi ut cibos in Insulam immitterent; hi ut importantes interciperent, illi ut rem in hiemem extraherent; hi ut ne

extrahe-

extraheretur, contendebant. Athenas verò quum nuntiatum eſſet obſeſſis in inſula commeatus inferri, animis angi cæperunt, metuentes ne hiems demum oppugnantes opprimeret. Quare prudentiſſimo conſilio uſi, alterum confeſtim exercitum eò mittunt, ut duplicatis viribus de tempore deciderent; Auctis igitur copijs, in inſulam egreſſi Athenienſes, viros fortiſſimos multitudine ſua obruunt; partem occidunt, partem capiunt, & cum captivis inſignem de Lacedæmonijs victoriam Athenas reportarunt. Qua elati Athenienſes, & omnia armis navalibus inferiora reputantes, primùm Corynthios, qui funeſti huius belli origo fuerant, duce Nicia, depopulantur. Corcyram verò, inſulam quidem ſuam, ſed in qua optimates à populo diſſidebant, claſſe invadunt. Ibi fædam & in ultima barbarie inauditam perfidiam cum crudelitate & ſanguine coniunctam in optimates, ſtudio partium, exercuerunt. Chios, nouum murum, quem defenſionis ſuæ cauſa nuper extruxerant, tanquam rebus novis ſtudentes demoliri juſſerunt: & ad renovationem fæderum petendam adegerunt. Cythera, inſulam è regione terræ Laconicæ ſitam, quam Lacedæmonij magno ſuo

ſumptu tuebantur, miſſa eò claſſe occupabant, pulſiſque Lacedæmonijs, ualidum in ea præſidium collocabant. Verum fracti adeo erant ad Pylum Lacedæmoniorum animi, ut nuſquam illis cum exercitu occurrerent: ſed diſtributis per regiones copijs, oppida munita præſidijs tuerentur: Quanquam & ex iſtis quædam, vaſtationis & excidij metu, Athenienſibus ſe dediderunt; itaque deflorere iam Lacedæmoniorum fama, & eorum imperium à finitimis contemni. Quod ne in deterius, rebus retrò fluentibus, vergeret metuentes pacem petunt: Athenienſes pacem dare gravati, inducias in annum dant; quibus finitis, pax in annos quinquaginta, data; quæ quoniam ſuaſore Nicia, qui tum principatum Athenis obtinebat, facta eſt, pax Nicæa appellata. Conditionibus additum, ut olim in fœdere cum Dario coito, *ne cui Spartano, nave longa navigare liceret, ſed oneraria tantum, eaque parva*; quo nihil unquam à Republica Spartana flagitioſius admiſſum reperitur.

Verum pax iſta, in quinquaginta annos pacta, ſex tantum annos ſancta fuit; ſi tamen ſancta dici debuit, quam quum ſuo nomine condixerant, ex ſociorum perſona quotidie

ie violabant; quippe quaſi minus periu-
ij contraherent, ſi ferentes ſocijs auxilia,
quam ſi ſuo nomine indicto bello dimicaſ-
ſent: Cæterùm major erat jam Athenien-
ium fortuna quam ut eam moderatè ferre
poſſent; non enim abſolutum tantummo-
do in mare imperium, concedentibus
Spartanis, obtinebant, ſed eò etiam ingen-
tem apud omnes populos gloriam compa-
raverant, quod viris inter ferrum & arma
natis arma è manibus virtute ſua extorſiſ-
ſent: Quippe reputabant animis, cæſos
quidem olim ad Thermopylas à Perſis
Lacedæmonios, ſed quibus arma traderent,
ſeque dederent, & à quibus tam flagitioſas
pacis conditiones acciperent, ſolos inter
mortales repertos eſſe Athenienſes memo-
rabant. Conſtat etiam Italiam uſque &
Carthaginem harum rerum famam, &
Athenienſium terrorem pervaſiſſe: nec
ipſi Athenienſes ſe magnum quid occiden-
tem verſus agitare animis diſſimulabant;
ſed Siciliam inſulam armis viriſque, præ-
cipuè verò claſſibus potentem imperio ſuo
prius adjungere, è re eſſe iudicabant. Id
iam inde à bello Medico concupiverant;
ſed quà bello, qua pace non finitimis infi-
da, præpediti, arma in regionem tam lon-

ginquam (ſic enim tum Sicilia videbatur) proferre non audebant. Vacuis inde pace Nicæa,& Siculæ dominationis avidis, preces Egeſtanorum in Sicilia, quorum agros Selinuntij & Syracuſani vaſtaverant,cauſam belli quærentibus præbuerunt.

Erant illa tempeſtate Athenis duo viri ingenio varij, & moribus inter ſe longè diſſimillimi,Nicias & Alcibiades; ille ætate maturus, rerum uſu fretus, conſilio providus, & qui florentes tum Athenarum res, ſed non firmiſſimè conſtitutas prava dominandi libidine movendas non eſſe cenſuit: illud ſubinde, tanquam è tripode,bellorum non neceſſariorum flebiles ſemper exitus eſſe vaticinando. Hic annis iunior, ingenio fervidus & ferox, quique ad cæteras naturæ dotes, Socratis inſuper diſciplinam hauſerat, & facundia ſummis illorum temporum oratoribus par habebatur,opes, potentiam, imperium, & quæ alia vulgi ſtudia accendere & proritare ſolent,proponendo,bellum Siculis inferre ſuaſit; extat utriuſque apud Thucididem oratio; ſed Siciliæ perdomandæ ardor, Alcibiadis inſuper oratione inflammatus, prudens & ſalutare Niciæ conſilium, non animis non auribus admittere ſinebat. Fit igitur decretum

cretum: Duces deſignantur tres; infauſti hujus belli ſuaſor Alcibiades; eiuſdem diſſuaſor Nicias, & Lamachus, primi ordinis civis, ſed qui ad ſtudia Alcibiadis animo magis propenderet. His claſſis parandæ, & lectuum habendorum cura à populo delegatur. Adparatur igitur centum & quadraginta triremium Atticarum claſſis; tanta magnificentia, tantoque ſumptu & luxu publico ſimul & privato, planè ut eos non ad pugnam ſed ad pompam proficiſci diceres. Non enim armandis ſed ornandis navibus ſtudebatur. Nec difficilis erat delectus habendi ratio: certatim omnes & per ambitionem juvenes ſimul & emeritæ militiæ viri, nomina dederunt.

Talem vero rerum ſimul & animorum habitum ſeniores civitatis quùm intuerentur, benè verterent dij precabantur, ſed tamen tacito quodam animi augurio, (ut in talibus fere ſolet) movebantur, & rei exitum præſumebant animis; ante omnes Alcibiadem diris devovebant, quòd is privatæ ſuæ vitæ luxuriam & ambitionem, tanquam venenum aliquod, in reipub. corpus exemplo primùm, deinde & oratione ſua infuditſet. Reliquis vero Græcis, qui ex omnibus ſocijs civitatibus, viſendi ſtudio,

incredibili multitudine eodem confluxerant, magis oſtentatio quædam potentiæ, & opum, quam militaris adverſus hoſtem apparatus eſſe videbatur. Media iam æſtate, quùm naves milite completæ eſſent, prius quàm à terra ſolverent, ſilentio per tubicinem facto, ibi tum ſolemnia vota preceſque, non quidē perſingulas naves tanquam de Deorum auxilio ſolliciti, ſed univerſi ſimul ad præconis vocē pro more perfecerūt. Iungebant vota & preces ſuas, etiam reliqua in littore multitudo, civium pariter & ſociorum. Quumque iam Pæana Apollini cecinissent: (mos enim erat, ut ſicut è prælio cum victoria reverſi Marti canebant, ita ad bellum profecturi Apollini Pæana canerent) à terra provehebantur; & claſſe primum in cornua, veluti ad præſentem pugnam, ducta, Corcyram unius diei iter à Sicilia diſtantem navigabant. Ibi claſſem ſocialem apparatiſſimam inveniunt. Ducentæ erant & eò amplius ſociorum naves; & inter illas duæ Rhodiæ.

Paruæ tum erant, utpote naſcentes, Rhodiorum in mari vires; quæ poſtea ſic auctæ ſunt, ut ſummis imperijs, magna, quàcunque inclinaverant, acceſſio haberentur: multas etiam res ipſi ſuis auſpicijs gerebant:

gerebant: nomenque ſuum, non ſolum armis, verum etiam legibus ad res marinas ſpectantibus nobilitabant: quarum legum corpus, Lex Rhodia dicebatur; Hanc Antoninus olim Romanorum Imperator maris Dominam dicere non dubitavit: tanta certè iuſtitia, equitate & prudentia conſcripta fuit, ut ne tam longi quidem temporis uſus, eam in hanc uſque diem refutaverit: ſed quantum quiſque a lege Rhodia in iudicando recedit, tantum a juris & equitatis fonte diſcedere videatur.

Interea tantæ claſſis & expeditionis nauticæ fama Siciliam pervaſerat: ibi alij rem ridiculam, & ab optimatibus ad terriculamenta ſcilicet populo facienda inventam eſſe dicere; alij rem nec omnino inveriſimilem, & quoniam vera eſſe poſſet, non contemnendam affirmare; Hermocrates genere Syracuſanus, & inter ſuos præcipuæ virtutis & nobilitatis vir, quum per certiſſimos exploratores perſpectiſſimum haberet, haud vanam eſſe de Athenienſium claſſe famam, eamque ad Corcyram iam ſtare, concilio populi indicto, rem aperit; monet primum, ne privatas ſimultates ſalute publica potiores eſſe velint: Deinde, nec magnam iſtam claſſem, magni faciendam

dam esse docet: paucissimas enim magnas classes procul patria profectas prosperos successus habuisse, rationibus simùl & exemplis in rem prolatis confirmat. Denique præter domesticas opes, Carthaginienses, Corynthios, & Lacedemonios, hos veteres Athenienſium hostes, illos adolescente indies eorum potentia & gloria anxios & suspensos, legationibus ad opem ferendam sollicitandos esse censet.

Dum hæc agunturr, classis Athenienſis Corcyra profecta sinum Ionicum traijciebat: & cum universo apparatu, nemine prohibente, Tarentum in Italia appulerat; inde quantocyùs Messanam in Sicilia transmissura. Sed Tarentini eos neque intra muros receperunt, nec commeatum petentibus præbebant, nec communi foro, rerum mercandarum causa, uti permittebant; pro magno beneficio imputantes, quod aquatione & portu non prohibuissent. Idem & aliæ in illo tractu urbes, quanquam omnes origine Græcæ, faciebant. Si in animo haberent, Siciliam invadere, id illis per se integrum fore aiebant; se neutris auxilio futuros; nec sine communi Italorum consilio, quicquam moturos esse dicere. Hac spe depulsi Athenienses,

capita

capita conferre, & de rei ſumma deliberare incipiunt: illud imprimis cogitantes, quomodo, aut ex qua parte, Siciliam commodiſſimè invaderent; ſimul navium, quas ad Corcyram ſtantes, Egeſtam miſerant, adventum expectabant: ſcire cupientes de pecunia, utrum ea in parato eſſet ad ſtipendia militum.

Etenim Egeſtanorum legati, quum Athenis, ut ſuperius commemoravimus, auxilia adverſus Selinuntios & Syracuſanos peterent, auri neſcio quos & argenti montes, & divitiarum omnis generis penes ſe affatim eſſe affirmaverant. Cujus rei certiores quàm primùm fieri, ut par erat, cupientes Athenienſes, eò ſtatim legatos miſerant, iuſſos ante omnia, ea res ita eſſet necne, diligentiſſimè explorare: Hos ut fallerent Egeſtani, legatos ſubinde ad convivia privatim invitabant: ibi pocula aliaque vaſa per totam Egeſtam collecta, & quæ ex vicinis oppidis utenda accipere potuerunt, partim aurea, partim argentea, gemmiſque diſtincta, afferebant in convivium, tanquam ſua: quumque omnes ijſdem acciperentur, & ubique multa conſpicerent, ea opinione imbuti redeunt legati, ut Egeſtanorum profectò verba diui-

tijs

tijs ſuis longe minora eſſe, populo confirmarent. Hæc erat illa Venus, Medæa illa, illa Circe, quæ ſtultum populum Atheniensem ad bellum Siculis inferendum perpulit.

Quum igitur legati quos à Corcyra Egeſtam miſſos diximus, ad claſſem, quæ Tarenti adhuc ſtabat, reverſi nihil ſe pecuniarum, ac ne quidem unde pecunia conſici poſſet, aut in publico aut in privato reperiſſe renunciaſſent, ingens ſtatim metus, & ex metu conſternatio omnium animos occupavit. Re inter duces communicata, Niciæ ſententia erat, ut cum toto exercitu navigarent Selinuntem, contra quam ab Egeſtanis in Siciliam evocati fuerant: ſi Egeſtani toti exercitui ſtipendium, quod convenerat, præberent, conſilium ex re capiendum: ſi fallerent, ſaltem ut ſexaginta navibus, quas ſibi auxilio mitti flagitaverant, commeatus præberetur, peterent: ſi nihil obtinerent, ſatiùs eſſe eluſos iam, quam demum perditos de reditu cogitare. Contra Alcibiades, cum tanto exercitu domo egreſſos, re infecta, ac ne quidem tentata, redire, rem flagitij plenam, & nomini Athenienſi, magis quam fando explicari poſſet, dedecoroſam eſſe dicere.

Sollici-

ſollicitandos profecto eſse Siculorum animos; amicos, ſi non inveniant, faciendos; urbem aliquam munitam, ubi conſiſtant, ubi portum ad naves ſubducendas habeant, ſi portæ non pateant, vel vi vel dolo occupandam; ibi ſedem belli habituros; inde tanquam ex ſpecula, res Siciliæ, qui amici, qui adverſi eſsent, proſpecturos. Tertio loco Lamachus, Syracuſas, belli caput, extemplò, dum recentes vigenteſque eſſent militum vires, petendas eſſe dixit; multa initio torpentibus adhuc hoſtium animis fieri poſſe, quæ poſtea nequicquam expectaveris; ſi iſta videantur, bene eſſe; ſi minus, ſe Alcibiadis quam Niciæ ſententiæ accedere; omnino enim nihil agi, non placere.

Placuit igitur legationibus tentandos eſſe Siculorum animos; ipſe Alcibiades, qui conſilium dederat, operam etiam in eam rem pollicetur: nec pollicetur modo. Meſſanam petit: concilium ei, extra urbem datur: ipſe intra muros non recipitur: verba facit: virtutem gloriamque populi Athenienſis & magnitudinem imperij, præſertim in mari, apud maritinam civitatem, verbis ad id exquiſitiſſimis extollit: ſed nihil ei hoſpitaliter reſponſum. Inde digrediens,

grediens, alias in illa ora ciuitates adit: eadem in illis fere dicta, auditaque: nec benignè quicquam pacatiuè priùs acceptum, quam Catanam pervenit. Erat Catana urbs maritima Siciliæ, Græciæ obversa, non longè à Syracusis posita: eò cum parte classis quum appulisset Alcibiades, Catanenses exercitum navalésve socios intra mœnia recipere recusabant: si quid ipse ad populum vellet, haud abnuere. Castris extra mœnia positis, ipse cum modico comitatu urbem ingreditur. Longa ibi oratione populum fatigat: à cuius ore (erat enim res per se magna & dicentis facundia iuvabatur) dum universi pendent, interea socij navales, portulam quandam in auersa vrbis parte malè custoditam conspicati vi effringunt; vrbem agmine ingressi, opportunissima quæq; loca armis occupant: occupata præsidijs firmant: quo facto Catanenses in Athenienſium potestatem, seu inviti, seu volentes concesserunt, & libere inde abire permissis, si qui Syracusanorum partes sequi mallent, hunc navibus portũ, hanc belli sedem Athenienſibus præbuerunt.

Rebus ad Catanam constitutis, sub fine æstatis, Athenienses de Syracusis invadendis

dis conſilium capiunt: Syracuſani itidem ad Athenienſes Catana, totaque adeò Sicilia pellendos animum advertunt. Facilè intellectum eſt, Lamachi conſilium, ſi obtinuiſſet, ad ſummam belli plurimùm fuiſſe profuturum. Poſtquam enim non ſtatim, territis adhuc animis, eos adorti ſunt Athenienſes, cœperunt indies Syracuſani, magis magiſque non ſolum confirmari, verùm etiam ferociores fieri. Petunt igitur à ducibus ſuis, quandoquidem Athenienſes Syracuſas venire non audeant, ut ipſi, iuvantibus bene Dijs, Catanam ducerent: ſe ignaviſſimum hoſtem, vel Catanæ mœnibus præcipites acturos, vel vrbis ruinis obruturos eſſe ſpondent. Equites etiam Syracuſani, urbis mœnibus obequitantes, eos conuitijs & opprobrijs inceſſere non dubitabant. Erat enim hoc Syracuſanorum proprium, ut quæcunque eſſent eorum res, aliquid ſemper commodè & facetè dicerent. Itaque mœnibus, ut dixi, obequitantes, eos ſubinde interrogabant; ad quid tandem, in Siciliam veniſſent? ecquid ut uxores ibi quærerent? an quòd malos vicinos in Attica pertæſi, ſecum nunc in Cyclopum terra habitare mallent? ſenſit vetus dux quæ res ſui contemptum apud hoſtem

hostem genuisset, eundem igitur studiose nunc alere, & metum simulando potiundæ urbis spem hostibus facere cupiebat: ut si posset totam vel saltem maiorem exercitus Syracusani partem Catanam attraheret. Quum igitur quicquid esset in exercitu roboris, relictis Syracusis, in itinere Catanam versus esse, ex speculatoribus, comperisset, ipse, milite navibus impositio, silentissima classe. Syracusas contendit ibi nemine præpediente, copias in littore ante urbem exponit; castris metandis locum opportunum capit: fidam navibus, seu reficiendis, seu ex prælio, si opus esset, recipiendis stationem parat: quorum nihil, si præsens hostium exercitus fuisset, sine pugna, forsitan & clade, perfici potuisset. Missi igitur extemplò nuncij, qui exercitum ex itinere Syracusas revocarent. Eodem tempore, & qui ad Catanam erant, quum classem Athenien sem inde solvisse comperissent, urbi timentes citatissimo cursu Syracusas, alteri alteris pavorem incutientes, referuntur. Castris vallo fossáque munitis, postero die Nicias productis copijs pugnandi copiam hosti facit: nec Syracusanis animi ad pugnandum defuerunt: sed quod omni populo à longa pace desidi

deſidi languentique contingit, ut ad ſigna frequentes non conveniant, ut Ducum imperia non accipiant, ut ordines militariter non ſervent, hoc illo tempore Syracuſanis contigit. Itaque facile & nullo negotio a peritis imperiti, plures à pauciori-bus, tirones à veteranis funduntur fuganturque, & trepidi in urbem, multis ſuorum amiſſis compelluntur.

Hac potitus victoria Nicias, & noticia locorum accepta, quia hiems jam inſtabat, & ipſe ad hibernam oppugnationem neceſſaria ad manum non habebat, claſſe, qua venerat, Catanam redijt: Ibi fructum victoriæ, defectionem populorum & urbium, expectaturus. Nec eum ſua fefellit ſpes; multæ enim civitates, quæ prius neutris ſe auxilia miſſuros pollicitæ fuerant, hac Athenienſium fortuna & fælicitatate inclinatæ, Niciæ ſe coniunxerunt. Interim Syracuſani, quum ſe & viribus & ingenio, ſed magis ingenio, & rei militaris uſu ſuperari animadvertiſſent, multa animis agitabant: ante omnia Corynthios ut claſſem, Lacedæmonios ut ducem ſibi aliquem ex ſuis mitterent, ſollicitabant. Etiam Siciliæ populos, legatis miſſis honoratiſſimis quibuſque ſuæ civitatis, monebant pariter &

rogabant, ne communem patriam, prava finitimos ulciſcendi cupidine peregrinis & exteris inſervitutem tradere feſtinaret.

Vere ineunte, qui erat annus decimus octauus belli Peloponeſiaci, Nicias cum claſſe Syracuſas redit: duo erant Syracuſarum portus: quorum alter Thapſus, alter portus magnus dicebatur: Thapſum claſſe occupat, locum caſtris muniendis pugnando capit; multa prælia ſecunda facit: quibus territi Syracuſani, quum nullus è Sparta Dux adveniret, rebus ſuis diffiſi, de Pace cum Nicia agere cœperunt. Nicias non pacis ſed deditionis rem eſſe dicere: & iam frequentes hinc inde legati commeabant. Rem deinde, ſive ad pacem ſive ad deditionem inclinatam reſtituit repens primò fama, deinde certus nuntius de Gylippi ducis Spartani ad Tarentum appulſu, inde ſine mora in Siciliam & Syracuſas ipſas traiecturi. Nulla cum eo auxilia miſerant Lacedæmonij: neque enim id per fœdera inter ipſos & Athenienſes inita licebat: ſed is vir erat Gylippus, ut in eo omnium auxiliorum inſtar eſſe videretur. Itaque quùm nullum ſecum exercitum adduxiſſet, neſcio tamen, qua ſui opinione, ad quatuor millia hominum brevi tempore

ad

ad ſe attraxerat. His comitatus Syracuſas tendit; quà intermiſſa erant munimenta, ſtationes hoſtium nocte aggreſſus, facile perrumpit, & Syracuſis cum incredibili omnium lætitia, recipitur. Poſtero die accepto imperio, copias educit: dies noctesque in ipſa munimenta hoſtium pugnat, vallos revellit, foſſas complet, muros diruit, tantaque paucis diebus facta eſt rerum ad Syracuſas converſio, ut qui prius de pace egerant, omnem nunc, præterquam in armis, ſalutis ſpem turpem & flagitioſam eſſe ducerent. Denique Nicias ipſe abiecta urbis terreſtribus copijs potiundæ ſpe, ad mare ſe convertit: claſſem armat, apparatque, & Thapſo provectus, magnum portum, quem adhuc tenebant, Syracuſanis eripere contendit. Gylippus ne navali quidem gloria Athenienſibus cedendum eſſe ratus, claſſem & ipſe parari iubet: quo nihil Niciæ, ut inexpectatius, ita formidabilius evenire potuit. Etenim naves ſuas alterum iam annum, continuis in ſalo ſtationibus fatiſcere, & rimoſiores fieri comperiebat; ſocios vero navales tam longi temporis ſpacio, aëre inſuper haud quaquam ſalubri, non ſolum morbis debilitatos, verum etiam magna parte extinctos

esse vidit, qui vero in defunctorum locum ascripti fuerant classiarios, utpote mancipia & servos, totam disciplinam navalem corrupisse querebatur,

Interea Hermocrates Syracusanæ classis præfectus, suos ad pugnam navalem ineundam acerrime hortabatur. Quippe ipsos Athenienses maris peritos non natos sed factos esse: non illos maris & insularum regnum a patribus relictum accepisse, sed paucos ante annos, quum terra contra Medos consistere non possent, ad naves compulsos, agendo, audendo, bene consulendo, virtute denique & viribus imperium maris obtinuisse; posse & Syracusanos, si ad natiuum animi robur, rerum nauticarum usum & disciplinam adjiciant, istam, qua nunc tantopere exultant Athenienses, navalem gloriam illorum capiti detractam suo imponere, & rem Syracusanam multò quam a patribus acceperant, auctiorem posteris relinquere. Nicias igitur quùm præter spem suam Syracusanos, totos jam in navibus deducendis, armandis, instruendis esse cerneret, pugna abstinuit. Interim literas legatosque Athenas mittit: quas quantasque clades a Gylippi adventu acceperat, edisserit: vel alium exercitum

&

& claſſem priori parem mittendam, vel quæ jam erat, ſaluis adhuc rebus, revocandam eſſe docet. Re ad populum relata, nouum ſtatim exercitum conſcribi, & claſſem adornari iubent. Quoniam vero Gylippum civem Lacedæmonium, unicam ad Syracuſas malorum ſuorum cauſam eſſe intellexerant, ideo rupta palam fœdera cum Spartanis eſſe clamitantes, & ipſi, miſſa claſſe, terram Laconicam, non ut antea prædabundi, ſed hoſtiliter invadunt.

Hanc fœderis ſolvendi occationem cupidiſſime arripuerunt Lacedæmonij. Memores enim ſe (priore fœdere præter jus, & fas, per invidiam & æmulationem a ſe ſoluto) infauſtum belli exitum habuiſſe, ad eundem lapidem iterum impingere totis animis horrebãt. Quare ſi quando Athenienſes prædas è Laconica egiſſent, non propterea fœdera rupta eſſe interpretabantur, ſed præconio publico edicebant, ut, ſi quis ex ſuis vellet, Athenienſium res ex Attica viciſſim prædaretur: quo primum exemplo, ius Repræſaliarum, quali nunc utimur, hoc eſt, non legitimo, ſed quo, manente pacis titulo, omnia hoſtiliter, æque atque in bello per fœciales indicto, fiunt, proditum fuiſſe exiſtimaverim. Quùm igitur

bellum ſibi conſilio publico ab Athenienſibus inferri cognoviſſent, validiſſimo & ipſi conſcripto exercitu in Atticam irrupetunt: Id eo audentius faciebant, quod hoſtes eodem tempore & longinquo & difficili bello implicari intelligebant: Veniſſe igitur jam tempus rati, quo veterum iniuriarum pœnas ab Athenienſibus expeterent, præter exercitum quem in Atticam immiſerant, claſſem etiam, quantamcunque poterant, ex univerſa Peloponeſo contractam, Syracuſas mittunt; Tanta autem Athenienſes illo tempore ceperat dominandi rabies, ut quùm ab Athenarum mœnibus fremitum caſtrorum Laconicorum exaudirent, & regionem Atticam, non ut antea vaſtari, & incendi, ſed ab hoſtibus, qui jam Decelæam, non totis quatuor milliaribus ab urbe diſtantem, muniverant, poſſideri oculis ſuis contuerentur, alienatis tamen à tantorum periculorum ſenſu animis, omnes vires ſuas navales terreſtreſque Syracuſas converterent.

Auctis igitur utrinque in mari viribus, ad pugnam navalem ſe parant: ante fauces magni portus Syracuſarum concurrunt claſſes: ſexaginta Athenienſium triremes erant:

erant: Syracuſanorum octoginta. Initio ſtatim pugnæ ſuperiores erant Syracuſani. Nam & triremes aliquot Athenienſium primo congreſſu depreſſerant, & reliquas ſe inferentes, multa vi repellebant; ſed dum in repulſas nullo ordine irruunt, victoriam, quam in manibus habebant, hoſti tradunt: undecim Syracuſanorum navibus demerſis, multis mortalibus interfectis, captis etiam & obductis aliquot triremibus, & qui in illis erant militibus in ſervitutem abreptis tropæum in littore, ut mos erat, ſtatuerunt Athenienſes. Nec tamen Hermocrates, Syracuſanos ſuos propter adverſam pugnam inertiæ accuſandos, aut alia verborum acerbitate caſtigandos eſſe cenſuit, ſed lenirer conſolandos; non quidem nihil hoc prælio actum eſſe dicere, quòd rudes adhuc & imperiti cum maris peritiſſimis non magna clade dimicaſſent; ex quo ſi nihil aliud, attamen illud certè comodi reportaſſent, quod in quibus peccaſſent compertum jam & cognitum haberent: jam primùm eo peccaſſe, quod extra fauces progreſſi, aperto mari potius quam in ipſo portu concurriſſent: Navium agilitate, & circumcurſando, ubi ſpatium detur, plurimum valere Athenienſes: ſe

ſtabili genere pugnæ & roſtris incurrendo plus valituros. Ab hac oratione, navium ſuarum roſtra, quæ quo prominentiora erant, eo facilius inter concurrendum præfringebantur, ad breviorem menſuram præcidi iuſſit; littora vero intra anguſtias portus vallis ſudibuſque prægrandibus & acutis, quarum magna pars aquis tegebatur, munivit; ut ſi ad eas, naves hoſtiles temerè applicuiſſent, non aliter quam ad ſcopulos frangerentur. Edicit deinde maris fortunam iterum eſſe experiundam, nec ſe prius quieturum confirmat, quam maris iſtos, ſi dijs placet, dominos toto mari præcipites egiſſet. Interim verò triremes decem, duce Agatharcho, ad Italiæ littora, ne quid inde ſubſidij Athenienſibus veniret, ſervanda mittit. Intellexerat enim naves quaſdam, pecunijs, alioque commeatu, & materia onuſtas ad Niciam inde navigare: quibus quum Agatharchus occurriſſet, maiorem earum partem aggreſſus cepit, alias, quæ ſtatuminibus, ceteraque materie ad claſſem reficiendam idonea replebantur, incendit, multaque cum laude Syracuſas redijt, leve deinde prælium circa palos, quos Hermocratem in littore ad belli occaſiones fixiſſe diximus, commiſſum eſt: Etenim Athenienſes

enſes eximiæ magnitudinis navem (quam a magnitudine Muriamphoram, id eſt, mille non minus amphorarum capacem, appellebant) turribus ligneis inſtructam, tectamque & egregie munitam in portum immiſerant: Quam, quoniam remis propter magnitudinem verſare non poſſent, remulco trahebant, paloſque ad eam religatos, multa vi retrahentes evellebant. Addebant & urinatores, qui ſub aquis adnatantes, vallos, qui aquis non extabant, & a quibus præcipuè periculum erat, excidebant. Contra hos Syracuſani è navibus jaculabantur; & Athenienſes ex Myriamphora ſua tanquam ex præcelſa aliqua turre omni miſſilium genere propugnabant.

Dum iſta in portu magno vario eventu geruntur, ſeptuaginta trium navium claſſis Athenis miſſa, levi prælio in tranſitu cum Corynthijs commiſſo, ad minorem portum, quem Thapſum appellari diximus, applicuit, duce Demoſthene, eo, cujus res ad Pylum, & Sphagian geſtas ſuperius memoravimus. Quæ res ut animos Athenienſium non mediocriter refecit, ita Syracuſanos ad maiora audenda excitabat: Iamque proris navium, iuxta Hermocratis præceptum, ad breviorem menſuram præciſis, ligna

ligna insuper, mediæ crassitudinis, ipsi suopte ingenio addiderant, eaque geniculis ad latera navium hinc inde impactis firmabant; ut in naves hostium sive a latere siue a fronte incurrentibus non præfringerentur rostra, sed certiora graviora que adversis vulnera inferrent: & ipsi sd intra portus sui claustra tenebant; pugnandi vel non pugnandi occasionem in sua semper manu habituri. Demosthenes quum paucis ad hostem pariter suumque militem cognoscendum, diebus sumptis, illos validos vigentesque & spe plenos, suos corpore simul & animo languentes comperisset; magnopere suadere ut rebus adhuc, si non salvis, attamen non planè perditis, exercitus navibus impositus Athenas reduceretur; satis superque hostium in Attica jam esse, rupto cum Lacedæmonijs nuper fœdere; nunc præterquam quod in Attica & Sicilia duos simul exercitus ærarium alere non posset, periculi quantum adeatur quis non videt. Quid si (quod dij omen avertant) dum nos hic, inquit, Syracusas oppugnantes sedemus, Lacedæmonij, qui jam Decelæam muniverunt, ipsas Athenas milite vacuas, oppugnatum nunc erant? credo nos & exercitum hunc a Syracusanum mœnibus, hoc est, ab ultimis maris &

terræ

terræ finibus accerſent; Quod ſi nobis hic adverſi quid terra marive accideret, cuiquámve mortalium dubium ſit, quin hi ipſi Syracuſani, hoc ipſo Gylippo duce, qui tantas hic tragœdias excitavit, cum claſſe victrice avolabunt, iunctiſque cum Lacedæmonijs copijs, urbem ipſam & Pyræum, ſicut nos Syracuſas, omni genere militiæ excindere nitentur? Hæc & ſimilia his, veluti animi ſui præſagia, in conſilio militari fundebat Demoſthenes: nec ex toto conſeſſu quiſquam erat, qui vera ea eſſe non ſentiret; ſolus Nicias, iſta ſive de reditu ſive de fuga conſilia, tanquam nomine Athenienſium parum digna repudiabat; præſertim verò ea, in conſilio publico agitari, quæ ſi palam fiant, hoſti animos addere poſſint, ſuis minuere è repub. non eſſe contendebat: privatim tamen Demoſtheni, ſuam & illius, de rerum ſumma, & totius belli ratione, eandem ſententiam eſſe, lachrymans fatebatur: ſed ſcire ſe populi Athenienſis qui mores eſſent, quæ ingenia: ſi deportato nunc exercitu ad ſuos revertiſſent, infame ſibi corruptelæ & proditæ reip. indicium haud dubie ſubeundum: è duobus, malle ſe belli, quam indicij aleam ſubire, & in feſtis potius hoſtiũ telis quam ciuium iratorum ſuffragijs caput

put obiectarum, & cum dicto, Eurymedonta classi præfectum naves expedire iussit.

Eurymedon, accepto quod roboris in classe erat, cum sexaginta triremibus portum magnum invehitur : Syracusani cum octoginta navibus ex adverso, paratissimis ad dimicandum animis, procedunt : naves Atticæ multa vi se inferentes, aduersis hostiũ rostris, veluti scopulis excipiuntur: hinc cladis initium : inde strages erat. Toto æquore vincuntur Athenienses. Depressis fractísve navibus, si qui forte ad terram enataverant, eos Gylippus in littore egressos trucidabat. Ipse Eurymedon, dum Syracusanorum alam circumvehitur, triremesua ad vada allisa, capitur, & occiditur. Sensit viri casum utraque statim classis. Itaque præcipiti fuga ablati Athenienses, Thapsum tendunt; fugientibus instat Hermocrates ; naves alias capit, alias vulnerat & demergit : paucæ fuga elapsæ intra præsidia pavidæ se receperunt, victoriam de se Syracusanis, qualem nulli unquam ad illam diem genti, in mari relinquentes.

Hermocrates, quamvis victoria lætus, tamen ne vincere magis, quam victoria uti scisse videretur, quum naves hostiles intra præsidia

præſidia compuliſſet maiori ſtatim rei animum advertit; illuſtrem planè apud omnes gentes rem, & tum ſuo tum Syracuſanorum nomini glorioſam fore ratus, ſi funeſto huic bello, geminata in mari victoria, finem impoſuiſſet; ſimul veritus, ne ſi hoſtes inde elaberentur, aliam belli ſedem in Sicilia quærerent, & Syracuſanis bellum, auctis viribus, pro libito renovarent. Paucis igitur datis ad militem reficiendum horis, ad opus revocatos, quid paret, edocet. Illi nihil ad ſummam induſtriam reliqui facientes, & promptiſſimo ſtudio imperia obeuntes, portum triremibus, alijſque navigijs & lembis ratibuſque piſcatorijs undecunq; contractis, & tranſverſim collocatis, ancoris eas primum ab utraque ripa ſtabilientes, deinde & funibus ancorarijs inter ſe colligantes, tanquam ſepto clauſerunt, anguſtiſſimo in medio ſpatio relicto, quod claſſe obiecta muniebant: ut Athenienſes, eo iam, quaſi vivario incluſi, uſquam elabi aut effugere non poſſent: quibus rebus ſic conſtitutis, Hermocrates, cum Athenienſes eruptionem omnino tentaturos eſſe prævideret, omnia rurſus ad prælium navale neceſſaria ſumma cura comparabat. Athenienſes portu erepto

omnem

omnem simul commeatus petendi facultatem sibi eripi intelligebant. Itaque de summorum Ducum sententia, adhibitis etiam in consilium ordinum ductoribus, & Nauarchis statuit Nicias iterum prælio navali decernere, & si quà posset, viam in mare pugnando aperire; statim igitur editioribus castrorum munitionibus relictis, prope naves locum occupat, natura & situ quam potuit munitissimum; non spatio amplum, sed qui impedimentis & ægrotis tutandis sufficeret; illum præsidijs & excubijs, firmat: reliquo peditatu naves, quæ vel ad cursum vel ad pugnam idoneæ videbantur, implet. Classi duces Demosthenem, Menandrum & Eudemum præficit. Hi iunctis inter se navibus, quasi uno corpore, ad perrumpendas claustrorum fauces properant. Sed Syracusani, prius egressi, cum ingenti navium bellicarum multitudine in statione ante portum aderant. Duces erant, Sicanus & Agatharchus; hi utrumque cornu tenebant: mediam aciem Corynthij tuebantur. Ipse Hermocrates toti classi præerat, & cum delecto navium numero, si qua suos laborantes videret, accurrebat. Athenienses primo impetu Corinthios pepulerunt; & iam summa

vi

vi perrumpere conabantur: ſed mox invectis in eos undique Syracuſanis, retrò cedere, & introrſus ſe recipere cogebantur: nec iam amplius ad ſepti fauces, ſed toto portu pugna ciebatur: in qua magna erat nautarum utrinq; animi vis & fortitudo: & miles cum milite, navarchus cum navarcho, Dux cum Duce, virtute & omnibus belli artibus certabat.

Itaque tot inter ſe tam arcto ſpatio cómiſſis navibus, quum propter loci anguſtias, excurſiones navium in nullam partem fierent, adverſis ſe invicem roſtris vulnerabant, & milites in tabulatis collocati, iaculis ſagittiſque ſe mutuis impetebant: mox alij in aliorum naves tranſiliebant: multaque & egregia belli facinora ubique edebantur. Interea clamore & ſtrepitu omnia perſonabant. Athenienſes à littore ſuis inclamabant, ut vi perrumperent, & pro ſalute patriæ, ſi unquam aliâs, illo potiſſimum tempore ſtrenuè dimicarent. Syracuſani ſuis, ut bello huic finem illo die imponere non dubitarent. Duces autem, ſiquem ex ſuis loco cedentem conſpexiſſent, verbis increpabant. Athenienſes ſuos interrogabant numquid plus in mari libero quam in terra hoſtili periculi

periculi esse existimarent? Syracusani, an non puderet ab illis fugari, qui nihil aliud pugnando quam fugam quærerent? donec ad extremum cruentissima utrobique pugna edita, Syracusani hostem longa pugna fatigatum, quum ipsi numero prævalerent, paulatim primùm in fugã coniecerunt: fugatos cum terribili clamore persequendo præcipites ad terram perpulerunt. Tunc navales Athenienſium copiæ, quibus septuaginta & amplius annis steterant, fœdam naufragij speciem dederunt; quotquot autem pugna elabi potuerunt, ij se in castra, fracti animis, confecti vulneribus, & toto corpore debilitati, receperunt. Hoc prælio funditus interijt Athenarum gloria: navibus enim amissis, triduo pòst deletæ sunt etiam terrestres copiæ, unà cum ducibus, Nicia & Demosthene: qui quum vivi in hostium potestatem venissent, paulo post in vinculis sunt interfecti.

Athenas quum fama adlatum fuisset, exercitum cum ducibus occidione cæsum, classem omnem in hostium venisse potestatem, pavor primò & silentiũ omnia occupabat; navis deinde una, è pugna elapsa, quum certiora omnia de clade reddidisset, universam civitatem ad luctum & lachrymas

lachrymas convertit: nec ſuæ quiſque domus calamitatem magis quam Reipub. fortunam deplorabat. Nam quid prius conquererentur? claſſem amiſſam? quaſi vero eam, ſi ſalvam haberent, aut milite aut remige complere poſſent. An vero exercitum in Sicilia deletum? cui, ſi integer maneret, in Sicilia tamen omnino ſeneſcendum foret; quandoquidem nec claſſis, qua inde reportaretur, in parato erat, nec in ærario pecunia, qua in locum amiſſæ nova comparari poſſet. Iam Inſulas omnes & civitates, ſocias ſubditaſque, ſui imperij pertæſas quaſi communi conſilio, continuò deſcituras eſſe providebant animis. Quid autem, ſi ad illum calamitatum & miſeriarum cumulum, illud iam accederet; ut Gylippus cum exercitu & claſſe Syracuſana, à recente victoria ardens advolaret? Quod ut ne fieret, nullo humano conſilio provideri, nullo ingenio ſperari potuit. Itaque impar oneri ſim, ſi præſentem florentiſſimæ nuper civitatis fortunam, & ex fortuna habitum, verbis deſcribere & enarrare aggrediar. Sed hac tanta rerum adverſarum mole oppreſſæ civitati, ſaluti fuit, quod eum hoſtem

habuerunt qui ut in prælijs ſupra humanas vires, fortis & ferox, ita in conſilijs capiendis timidus ſemper & cunctabundus erat, præſertim in rebus quæ ad mare & naves pertinebant. Quare nulla unquam gens rei benè gerendæ occationes, ſæpius ſibi effugere paſſa reperitur: ex quo profecto illud eſt, quod Thucidides, Lacedæmonios omnium commodiſſimos Athenienſibus hoſtes fuiſſe dixit: nimirùm hi res præcipitando ſuam ſæpe occationem hoſti dabant; illi oblatam non ſemper arripiebant; nec is hoſtis erat, in quo negligentiæ & errori locus interdum non eſſet.

Itaque Gylippus quum ſub Autumno victoriam obtinuiſſet, non inde ſtatim, quod oportuit, Athenas cum victore exercitu navigabat; nec ex Spartana diſciplina, ſed vel voluptatibus, vel pecunijs, (quarum avidiſſimum fuiſſe conſtat) ex præda corrogandis totam inde hiemem Syracuſijs inſumpſit. Ipſi etiam Lacedæmonij, more ſuo, tantæ victoriæ nuntio contenti, ea in præſens frui, quàm uti maluerunt. Ne tamen nihil egiſſe viderentur, viginti quinque naves illa hieme ædificandas locabant; maiorem aliquantò numerum

ſocijs

ſocijs imperant: proxima æſtate vel in Aſiam vel in Helleſpontum & Thraciam, aut maris Ægæi inſulas, ad civitates, quæ ſe dederent, portorium recipiendas profecturi: quum ſi ſtatim à victoriæ nuntio, vel viginti triremibus armatis inſtructiſque rectà in Pyræum navigando perrexiſſent, & portum, & urbem ipſam Athenarum, non defenſoribus & armis, magis, quam conſilio & animis deſtitutam pro arbitrio ſuo occupare potuiſſent.

Interea Athenienſes, quum hoſtem pro ingenio ſuo agere, nec quicquam vel à Syracuſijs, vel Lacedæmone moveri comperiſſent, animos recipere, conſulere, alij alios cohortari, in armis ſpem ponere, denique in tam afflictis ſuis rebus, de re tamen publica non deſperare audent. Mos erat antiquis, ſacrum quendam Theſaurum ad extremos Reip. caſus, repoſitum habere: gravi additâ pœna, ſi quis eum temerè moviſſe convinceretur; mille talentorum theſaurum hac conditione reconditum habebant Athenienſes. Hunc, quum Reſpub. jam ſua ultimo diſcrimine laboraret, lege prius de mulcta abrogata, movent; & ex eo à vicinis civitatibus, vel naves, vel

materiam ad naves extruendas coëmunt; celeriterque confecta triginta vel circiter navium classe, & in mare deducta, satis signi hostibus pariter sociisque dant, se non adeo ex recenti in Sicilia vulnere animis cecidisse, ut non de antiqua sua in mare gloria obtinenda cogitarent. Forte accidit, ut statim cum classe egressi, in parem Laconicarum navium numerum inciderent: eas fundunt fugantque: nonnullas etiam capiunt, & victores ad urbem redeunt. Quæ res, ut lapsos militum animos non mediocriter restituit, ita non multum ad auctoritatem apud civitates sive socias sive subditas recuperandam valuit. Quoniam verò omnes undique in hac rerum inclinatione civitates & insulas, sollicitantibus Lacedæmonijs, non solum ab imperio suo deficere, verùm etiam contra se arma ferre videbant; nec universas in potestate continendi aut spes aut ratio ostendebatur, ideo ex omni numero duas potissimum in fide retinendas deligebant: Eubœam & Samon: Illam, quod urbis Athenarum horreum esset, è qua plura quotidianæ vitæ subsidia, quam ex ipsa Attica percipiebant; hanc, quod post ipsas Athenas inde ab antiquo

tiquo plurimùm mari poterant. Itaque ſi maritimæ huius urbis vires ad Lacedæmonios acceſſiſſent, actum planè de Repub. ſua, fore intelligebant. Miſſis igitur extemplo copijs utrunque locum firmiſſimis præſidijs occuparunt.

Falſi ſpe ſua de Samo Lacedæmonij, aliò ſe convertunt, & legatos in Aſiam ad Tiſſaphernem Lydiæ Præfectum, Sardeis eo tempore agentem, mittunt. Rogant pro vetere ſua cum Regibus Perſarum amicitia, ut ſe æſtate proxima adverſus Athenienſes claſſe regia adiutos vellet; interim, ut ex fœdere, frumentum & ſtipendium in claſſem Laconicam, quæ iam inſtruebatur, cum cura & fide mitteret: fore propediem pollicentes, ut urbs illa, quæ tot olim turbas regibus Perſarum concivilſet, meritas ſcelerum & iniuriarum pœnas lueret. Lætis auribus, hunc nuncium accepit Tiſſaphernes; & utramque rem Regi Perſarum & ſibi curæ fore ſpondens, legatos dimittit: claſſem centum & quadraginta triremium Phœniſsarum armat ornatque: nec ulli mortalium dubium erat, quin hæ tantæ vires, Laconicis adiunctæ, rem Athenienſem ſua mole obruituræ eſſent.

Diximus superius Alcibiadem, unum ex tribus ducibus fuisse, qui ad bellum Siculum mittebantur, eumque belli sedem Catanam in Sicilia occupasse. Sed eum, stadium ingentium rerum gerendarum ingressum, furor populi levibus rumusculorum & suspitionum ventis agitatus, ad causam capitis dicendam, Athenas revocavit. Quod quum æquissime ferret Alcibiades, custodes fallens in Peloponesum ex itinere divertit. Inde Spartam misit, qui veniam sibi homini Athenensi, & impunitatem paciscerentur; pollicitus plus se commodi Spartanorum rebus brevi allaturum, quam prius incoōmodi attulisset. Fide publica accepta Spartā proficiscitur: ubi læris omniū animis & oculis accipitur: fit publici cōsilij particeps: sententiam dicere iussus, quum differuisset, sensit statim Sparta ea res quantum virum hostibus ademissent. Quicquid enim postea, vel Gylippi opera in Sicilia, vel Regis Agidis ad Decelæam in Attica, vel alibi usquam adversus Athenienses patratum fuerat, id omne virtuti & ingenio Alcibiadis, communi populi iudicio, acceptum ferebatur.

Sed dum Rex Decelæam in Attica munit, interim Alcibiades Regis uxorem La-

Lacedæmone expugnat: id adeo apertè & impudenter ferebatur, ut nec ipſa mulier, ſibi à lætitia ex facinore ſatis temperaverit, & Alcibiades, per ludibrium, non ſe libidinis cauſa id ſtupri Reginæ intuliſſe diceret, ſed ad genus faciendum, utque ex ſe potiſſimùm procreati Lacedæmone deinceps imperarent: Hæc quum non vanis autoribus ad Agidem deferrentur, tum habita temporis ratione, ea ut ita eſſe crederet, maximè mouebatur; totis enim decem & amplius menſibus ante pueri partum, ſe cum uxore conſuetudinem non habuiſſe ad animum revocabat: Quare & Leotychidem, (id infanti nomen erat) ut ſpurium abiecit, & cædem Alcibiadis percuſſoribus mandabat. Quo comperto, ad Tiſſaphernem in Aſiam profugit Alcibiades; cui ſe celeriter officij comitate & morum obſequio conciliavit. In conſilium adhibitus perſuadet Tiſſapherni, ne tanta ſtipendia claſſi Laconicæ inſtruendæ præberet: quippe memorem eſſe debere, alienam ſe victoriam non ſuam inſtruere; nec ultra hoc bellum ſuſtinendum eſſe, quam ut ne inopia deſeratur. Regem Perſarum diſſentientibus Græcis, ſemper arbi-

trum belli & pacis fore: bello finito, ſtatim ei eſſe cum victoribus dimicandum. Grata erat hæc oratio Tiſſapherni: quare commeatus maligne præbere, claſſem non mittere; ſi quam miſiſſet, ex cauſa ſubinde revocare. Lacedæmonios fruſtrari: omnia pro Alcibiadis arbitrio agere. Lacedæmonij, quum ſe a Tiſſapherne ludi fallique cernerent, ſuis viribus bellum gerere inſtituunt. Novo exemplo, ſummum rei nauticæ imperium certis legibus circũſcriptum uni Præfecto deferunt. Vnde maris deinde præfecturã, quam nos Ammiralitatẽ dicimus, ad cæteras gentes manaſſe reor. Is Aſtyochus nomine dicebatur: qui multa nequicquã in mari agitabat: ſed ſeu conſilio, ſeu fortuna deſtitutus, nullũ unquã memorabile cum Athenienſibus prælium cõſeruit.

Ei poſtea ſucceſſit pari poteſtate Mindarus: vir acer & in rebus mari gerendis impiger, quique non fruſtra præfecturam illam ſortitus videretur. Primum omnium Eubœam, quam Athenarum horreum & penu fuiſſe diximus, miſſa eò quadraginta duarum navium claſſe, duce Hamaxandrida Spartano occupare conſtituit. Qua re cognita Athenienſes Timocharem

ducem

ducem cum triginta navibus inſulæ præſidio mittunt. Has Hamaxandridas improviſò adortus, ex illis viginti duas cepit, reliquas vel demerſit, vel toto æquore diſiecit ; inſulam verò ipſam, victoriæ præmium, promptiſſimis incolarum ſtudijs, Lacedæmoniorum imperio ſociavit. Athenis, poſtquam allatum eò eſt de clade ad Eubœam accepta, tantum repente conſternationis & pavoris fuit, quantum antea nunquam : ac ne tum quidem, quum de adverſa in Sicilia pugna nuntius afferebatur. Illo enim caſu imperij vires gravitèr afflictæ; iſto, ſi quæ forte reliquiæ ſupererant, omnes ſublatæ & extinctæ eſſe videbantur. Quid enim, ſi Hamaxandridas, quod quilibet dux prudens faceret, & ipſe, loci aſpectu, præſens facere admonebatur, cum tota ſtatim claſſe, adiunctis Eubœenſibus Pyræum appuliſſet? ibi ſcilicet nec remigem nec remum ex adverſo reperiſſet. Omnis enim cum claſſe exercitus ad Samum aberat : & ipſa præterea urbs, inteſtinis tum maximè ſeditionibus laborabat. Sed Hamaxandridas (credo ne dux Gylippo melior videretur) victoria lætus, ad Mindarum, lætum nuncium

tium apportaturus abijt. Quo metu liberati Athenienſes, quum quò ſe verterent non haberent, decretum protinus de Alcibiade ab exilio revocando faciunt; fore ſperantes, ut patriæ, quamvis ingratæ, attamen ſuæ, & ad ultimam rerum deſperationem adductæ miſeritus, pro ea qua apud Tiſſaphernem valebat gratia, Perſarum vires Lacedæmonijs avulſas, ad Athenarum reliquias conſervandas adduceret.

Accepto decreto Alcibiades, ſtatim ex Aſia Samum ad exercitum contendit: ubi ſe copiarum omnium terreſtrium ſimul & maritimarum Præfectum à populo conſtitutum intellexit: accepto imperio, omnia ſumma animi moderatione, & prudentiſſimo conſilio adminiſtrabat. Tumultum militarem authoritate ſua præſens repreſſit, ſed ante omnia, quum Mindarum, Archithalaſſum Spartanum, Byzantium, cum valentiſſima claſſe profectum accepiſſet, nulla mora interpoſita Thraſybulum eò & Tharſyllum, viros militia claros, cum octoginta ſex navibus miſit; quibus Mindarus, cum ſexaginta & octo expeditiſſimarum navium claſſe occurrit: fit atrox

tr x & cruentum in anguſtiſſimo freto prælium : primo congreſſu pulſi aliquantulum ſunt Athenienſes : id conſpicatus Thraſybulus, in cornu, quà Mindarus ipſe pugnabat, totis viribus incurrit : & quà contertiſſimæ erant hoſtium naves veluti fulmen penetrando, mox claſſem hoſtilem, metu territam avertit. Naves aliquot occupavit : plures occupaturus niſi fuga anguſtiæ tutum fugientibus è propinquo receptum in terra præbuiſſet. In hoc prælio, maior pars exercitus & omnes ferè hoſtiũ duces cæſi : naves octoginta captæ. Poſito igitur in littore tropæo, confeſtim Thraſybulus triremem cum victoriæ nuntio Athenas miſit, quæ quum appulſſet, & legatus, ad id miſſus rei geſtæ ſeriem & victoriæ modum populo expoſuiſſet, alios ſtatim ſingulorum vultus, alium urbis ipſius habitum aſpiceres. Hactenus enim cladibus, in Sicilia primũ, deinde ad Eubœam, veluti vulneribus ſuper vulnera acceptis territi, nomen ipſum Spartanum, veluti infauſtum, & ſuæ urbi fatale futurũ perhorrebant : nunc vero alijs alios lætioribus oculis intueri, non in totum Dijs immortalibus rem Athenienſem inviſam eſſe dicere

re : habere & Lacedæmonios ſuas, ut victoriarum ita cladium viciſſitudines. Denique de dominio maris repotiundo partim cogitare, partim etiam, Dijs bene iuvantibus, ſperare occipiunt. Anxios tamen & ſollicitos habuit, quod Mindarus, collectis ex fuga navibus, aliiſque inſuper Lacedæmone in locum amiſſarum accerſitis, Pharnabazo etiam Perſarum ſatrapa, qui illa Aſiæ littora tenebat, adiuncto, liberè ut antè & impunè per omnes maris oras volitabat. Quanquam & ipſum Mindarum male habuit, quod eodem tempore Hermocrates Syracuſanorum dux cum ſua claſſe (viginti autem navibus conſtabat) ad Pœnorum vim propulſandam in Siciliam revocatus abceſſerat.

Quibus rebus intellectis Alcibiades, rebuſque ad Samum & in Ionia ubique conſtitutis, cum centum viginti triremibus, omni apparatu nautico inſtructiſſimis, Helleſpontum cum Mindaro, quacunque occurriſſet pugnaturus contendit. Id modo curæ erat, ne Mindarus totam claſſem advenisſe, vel ſe omnino in claſſe eſſe perſentiſceret : quare reliquis intervallo ſubſequi iuſſis, ipſe cum quadraginta triremibus

mibus hoſti in conſpectum venit. Eas Mindarus conſpicatus, veluti ad prædam occupandam accurrit. Dum pugnam trahit Alcibiades, tota claſſis advenit: & ipſe Alcibiades cum ſuo cornu mediam hoſtis aciem perrumpit; iamque in frontem ſimul & in terga Mindari pugnabatur, nec ulla ad fugam via patuit: rarò ulla cruentior in mari pugna commiſſa. Pharnabazus paucis navigijs comitatus inter tumultum evaſit. Ipſe Mindarus, ne tantæ claſſi ſua auſpicia ſequutæ ſuperesſet, ut ſe & nomine Spartano dignum erat, fortiſſimè pugnans occiditur: redditaque eſt æqua pugnæ Syracuſanæ clades. Nam & in terram egreſſus Alcibiades, Cyzicum & Perynthum validiſſimas urbes occupavit; & Pharnabazum univerſa illa Aſiæ ora decedere coegit. Rebus terra fœlicitèr geſtis, ad claſſem redijt. Lacedæmonios toto mari pepulit, & maris Dominium clade Sicula amiſſum, memorabiliad Helleſpontum prælio Athenienſibus reſtituit. Inde omnes ex utraque Helleſponti ripa civitates, omnes Ægæi maris inſulas recepit; nec ulla res iam perinde atque Alcibiadis nomen in mari formidabile eſſe videbatur.

Lacedæ-

Lacedæmonij quum cæso Mindaro, resuaret ò fluere, & Alcibiadis, seu virtuti seu fortunæ cedere animadverterent, & circumspicerent undique quem potissimùm ducem Alcibiadi parem ad hoc bellum mitterent, Lysandrum haud dubiè illium esse, occurrebat: notæ fortitudinis, & prudentiæ virum, summo loco natum, & pecunia inexpugnabilem. Hunc igitur classis Præfectum loco Mindari substituunt. Qui quum nihil ad summam diligentiam in classe comparanda reliqui fecisset, cum ingenti omnium spe, ac prope certa victoriæ fiducia profectus, Ephesum in Ionia appulit: eam verò quum præ cæteris ad bellum Athenienſibus inferendum opportunam sedem esse animadvertisset, castrais metatus, edixit, ut si quibus se convento opus esset, omnes eodem ad se venirent; triremes insuper & actuarias eo loci fabricandas locabat: unde brevi temporis spatio, Ephesi civitatis portum mercatoribus, forum opifibus, domos opibus & divitijs replevit. Vt ab eo primum tempore, ab ignoti fere nominis portu duo, ac eam postea pulchritudinem & magnificentiam excreverit, qua summas

&

& antiquiſſimas Aſiæ civitates ſuperavit.

Dum omnia Epheſi loca claſſibus parandis, armandis, ornandis fervent, vacuum tempus nactus Lyſander, quum Tiſſaphernem ad cauſam capitis dicendam Suſas à Rege Dario revocatum, Cyrum verò Regis filium cognomento Iuniorem Lydiæ præfectum Sardeis veniſſe accepiſſet, eo alcendit, colloquij cum Cyro, & Tiſſaphernis ad eum accuſandi gratia. Cauſa erat, quod claſſem Regiam ex fœdere non miſiſſet; quòd ſtipendium in nautas integrum non præbuiſſet: denique quòd ex Alcibiadis ſententia contra rem Spartanam omnia adminiſtraſſet. Grata res Cyro erat Tiſſaphernem accuſari, hominem improbum, & ſibi privatim inimicum. Ob hanc & reliquam in convivendo comitatem, qua præcipuè adoleſcentem demerebatur, Cyri gratiam nactus, ad bellum eum cohortatus eſt contra Athenienſes ex fœdere exequendum. Quumque Cyrus diſceſſurum convivio excepiſſet, & cum multis verbis oraſſet, ut ſecurus repulſæ peteret quod vellet, Lyſander, quandoquidem ita vis, inquit, oro te Cyre atque obteſtor, ut ſtipendio nautico,

nautico, quod trium hactenus obolorum fuit, quartum adijcias. Viri ingenium miratus adoleſcens, quod nihil ſibi privatim, publicè verò ſtipendium militi, perijſſet, decem millia Daricorum dono dari iuſſit. Hac de pecunia Lyſander, obolum nautis viritim diſtribuit: qua ſua liberalitate, parvo tempore claſſem Athenienſem remige ſocijſque navalibus ſpoliavit: dum claſſiarij vel ad plus munerantem transfugiunt, vel ſi manebant, ſtipendij tenuitatem ducibus ſuis exprobrando, eorum imperia cunctantèr obeunt. Nec tamen prælium navale conſerere audebat, Alcibiadem metuens, virum acrem, belli artibus clarum, conſilio prudentem, & perpetua ad illam uſque diem fœlicitate in bellis uſum.

Forte accidit, ut Alcibiades, quum Lyſandri virtutem Cyri opibus adiutam, non contemnendam eſſe duceret, Cariam pecuniæ in ſtipendum militum parandæ cauſa navigaret, cura claſſis, cuidam Antiocho nomine, demandata. Dato in mandatis, ne ſe abſente, pugna navali dimicaret. Sed Antiochus, ut erat homo nauticæ quidem rei non ignarus, nec

nec inſtrenuus, cætera tamen temerarius, & Lyſandro congreſſus haud quaquam par, juveniliter elatus, cum una aut altera triremi, Epheſum, quæ non longe aberat, navigabat. Ibi multa ioculariter dicendo faciendóque, hoſtium proras, ut ad anchoras ſtabant, prætervehitur. Lyſander rei indignitatem non ferens, paucis navibus emiſſis, hoſtem longiùs ſummoveri jubet; deinde ut fit, reliqua claſſe Athenienſium ſubſidio Antiocho veniente, & ipſe Lyſander ſuam educit: cæſoq; Antiocho, quindecim etiam triremibus vel captis vel depreſſis, victoriam, titulo magis claſſis Alcibiadeæ devictæ, quam morte Antiochi, nobilem reportavit. Reverſus Alcibiades rem, ut cognovit, ægerrimè tulit; ſed Antiocho foris ſubtracto, quem culpæ argueret, præter ſe, habebat neminem. Tota deinde claſſe profectus, Lyſandrum ad pugnam elicere tentabat; ſed is parta de Antiocho victoria contentus intra præſidia ſe continebat.

At ex inimicis Alcibiadis qui in caſtris Athenienſium erant non pauci, & inter eos Thraſybulus, ſummæ apud plebem gratiæ & authoritatis vir, locum

hunc criminandi nacti, varijs ſermonibus contra Alcibiadem populum concitabant ; illum unicum cladis acceptæ authorem prædicantes : illum, quum claſſis hoſtium ſtationem in proximo haberet, imperium, non viro alicui gravi, et militia claro, ſed Antiocho, iuveni, compotatorum & gaſeonum ſuorum uni, tradidiſſe : ſcilicet ut ipſe interea temporis Myoparone circumvectus, pecunias corraderet, luxuriæque & ebrietati & meretricibus vacaret. Nihil eſt populari concilio inconſultius. Imperium Alcibiadi indicta cauſa abrogant. Quo audito, ipſe in voluntarium exilium abit. Eodem tempore & ipſi Lacedæmonij Lyſandrum, pravis de eo ſuſpicionibus imbuti, re vocant : eique Callicratidem ſucceſſorem mittunt ; virum certe bonum, ſed belli artibus Lyſandro minimè comparandum. Hic non multò poſt levi quodam contracto cum Athenienſibus ad Arginuſas certamine victor occubuit. Quo nuntio læti, ut in tali re, ſocij, legatis Spartam miſſis, petierunt, ut Lyſander claſſi ſecundò præficeretur : haud ambiguè præ ſe ferentes, illo ſe potiſsimùm duce fidere. Eadem & Cyrus per ſuos

petijt:

petijt: ſed eorum votis lex obſtabat; lege non ita pridem de maris præfectura, ſeu Admiralitate, Spartæ lata, addictum in ea erat, *ne quis maris præfecturam iterum gereret.* Itaque Lacedæmonij, quum nec ſuam ipſi legem violare, nec ſociorum, & præcipue Cyri ſtudijs adverſari vellent, eò demum decurrunt, ut Araco cuidam nomen & titulum Præfecti maris deferrent, ei verò Lyſandrum, verbo legatum, re ipſa ſummæ rei præfectum adderent.

Lyſander accepta claſſe, quum neque pugnæ, copijs navalibus impar, rem committere auderet, neque militem ſimul & remigem, potando & ſcortando in navalibus corrumpi vellet Epheſo profectus, inſulas nonnullas in ſuam redegit poteſtatem; Quumque Helleſpontum deſertum ab Athenienſibus inveniſſet, Lampſacum copijs maritimis expugnavit. Quod quum Athenienſes accepiſſent, confeſtim cum centum octoginta triremibus, Seſton in ipſo Helleſponti ore ad ſiniſtram ſitam, & Leandri olim ſeu amore ſeu fato claram, appulerunt: unde commeatu ad paucos dies ſumpto, ad Ægoſpotamos, fatalem huic bello locũ, & in deſertiſſimo littore jacentem, navigabant; hoſtium claſſe adhuc è

regione ad Lampſacum ſtativa habente. Duces erant Athenienſium, inter alios, Conon & Philocles: quorum Philocles pridem populo perſuaſerat, ut quotquot illo bello ex hoſtibus caperentur, ijs dextræ manus pollex præcideretur; ut eo ſupplicij genere mulctati haſtam non ferre, remum tractare poſſent. Quum ex adverſo cōſtitiſſent claſſes, primo die utrinque ceſſatum à pugna eſt; ſequente, ſuſpenſos omnium animos prælij expectatione cernens. At Lyſander, quum claſſem hoſtium in loco deſerto & importuoſo, ſine præſidio, ſine vigilijs nocturnas ſtationes habere ex transfugis comperiſſet, majus aliud conſilium animo ſtruebat.

Ferunt Alcibiadem, cum in illis locis ſedem exilio delegiſſet, fama claſſis Athenienſis ad Ægoſpotamos ſtantis excitum, cives nuper ſuos ſalutandi cauſa, ad mare deſcendiſſe. Quumque locum alioqui intutum, nullis inſuper operibus munitum, & nec ſtationes nec excubias more militari habitas, Lyſandrum vero hoſtem claſſem non contemnendam in vicino tenere comperiſſet, eos publicè privatimque quanto in periculo verſarentur admoniſſe; ſed quum probra ei undique ingere-

ren-

rentur, & inter cætera: vocem exulis inter cives audiendam non eſſe, ſuccla-matum eſſet, triſtem abijſſe: illud modò præfatum, aut ſe belli hoc genus, hoſtem hunc, & Lyſandrum ducem ignorare, aut nobiliores brevi clade Athenienſium Ægoſpotamos futuros, quam pridem Syracuſæ fuerant.

Itaque Lyſander nautis ſimul & navarchis, tanquam prima luce pugnaturus, mandabat, ut ſummo mane, firmatis cibo corporibus, naves omnes conſcenderent: ibique ordine & ſilentio ſervato, in armis ad ſubita imperia intenti ſtarent. Poſtero die, Athenienſibus pro more adnavigantibus, & ad pugnam cum convicio & clamore provocantibus, Lyſander miſſis undiquaque lembis, quales ad obeunda in mari miniſteria haberi ſolent, ſeveriſſime ſuis edixit, ne quis ſtatione excedere, aut contra hoſtem iniuſſus pugnare auderet. Quum ſub veſpere feſſi ſtando receſſiſſent Athenienſes, Lyſander non priùs ſuos è navibus dimiſit, quàm binæ ternæve naves, quas ſpeculandi cauſa mittere ſolebat, hoſtem navibus ſuis egreſſum renunciaſſent: idem poſtridiè, tertio etiam, & quarto die facti-

tabat, nec quicquam prætermiſit, quo ſui contemptum, & ultimi metus opinionem hoſtibus confirmaret.

Quinta demum luce, quum poſt varia ignaviæ & timoris jactata probra Athenienſes ſub veſperam ſe recepiſſent, Lyſander ſpeculatorijs navibus pro more emiſſis mandavit, ut quum certò perſpexiſſent hoſtes navibus ſuis penitus egreſſos, quam poſſent celerrimè ad ſe reveherentur; & ne quid temporis in reditu, totum traiectum conficiendo, perderetur, quum in medium perveniſſent, ſignum tollerent. Ipſe interim navarchos & triremium præfectos, navigio circumvectus, monet, hortatur, ut ſignum intenti expectarent. Dato ſigno, ut ſumma vi hoſtem invaderent; adeſſe tempus, quo tot tantaſque Athenienſium iniurias ulciſcantur, & viginti ſeptem annorum bello manum ultimam imponant. Nec dum finem loquendi fecerat, quum è navibus ſpeculatorijs ſignum quod convenerat ſublatum conſpexit: quo viſo, è nave prætoria ſigna canere iuſſit. Extemplò ruunt omnes e portu, & citatiſſimo curſu, quantum remis veliſque contendere valebant, tranſmiſſo freto

freto, claſſem hoſtilem vel in ſalo ſtantem, vel ad terram ſubductam, ſed nullo prorſus præſidio munitam invadunt. Primus à terra, hoſtilem claſſem adventare ſenſit Conon, è Ducibus Athenienſium vnus; is quantùm potuit ſocios ad claſſem revocabat; ſed fruſtra. Statim enim navibus egreſſi, per agros commeatum quærendo palati fuerant; ipſe cum octo navigijs, medijs hoſtibus elapſus, Cyprum ad Regem Enagoram profugit, ſeque ad meliora patriæ ſuæ tempora reſervavit. Reliquam claſſem adortus Lyſander cepit: viros partim in præſenti trucidabat, partim poſtridie trucidandos aſſervabat: inter cæteros Philoclem; prius tamen interrogatum, quam pœnam meritum exiſtimaret, qui tam diri decreti (cuiuſmodi illud erat, ſuperiùs memorauimus) author fuerat: cui ille, non te, inquit, O Lyſander iudicem ſed victorem agnoſco: & ne fortius loquutus quam feciſſe videretur, cervicem præbuit. Lyſander, cæſis cum Philocle tribus millibus Athenienſium, direptiſque terra marique caſtris, ad tibiæ cantum Lampſacum revertit: quùm rem maximam minimo labore, & longiſſimum bel-

bellum, unica hora confecisset. Inde Athenas vela facit: muros diruit. Quum in Concilio sociorum, *delendanè essent Athenæ*, quæreretur, nec deessent qui urbis solum in pascua vertendum esse dicerent, negabant Spartani se, è duobus Græciæ oculis, alterum eruturos.

Incidit hæc pugna & Athenarum ab ea excidium, in annum decimum nonum ante captam à Gallis Brenno duce Romam, ut vult Polybius: decimo item nono, eodemque ultimo Darij cognomento Nothi Persarum Regis: à Troiæ excidio, septingentesimo septuagesimo nono: ab orbe verò condito, ter millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, si Philippi Melanchthonis iudicium sequamur. Cuius calculi quoniam parum mihi constat ratio, ideo autorem pro re posui: haud ignarus, quantum Scaligerus, Petavius, Gualterus Raleighius nostrâs, fœlicioris ingenij quam fortunæ vir, alijq; Cronographi, et ab illo, & inter se, hac de re discrepent.

Libri primi Finis.

Sit laus Deo.



Navis tecta, seu verius constrata: tecta enim ceriys esse potuit, constrata verò non, nisi tabulatis.

εἰκόσορος, *sive viginti remorum navis: quæ pro numero remorum* τεσσαρακόντορος, πεντηκόντορος, *dicebatur, & erant hæ omnes longæ naves, dictæ.*

Bridgewater ex dono Authoris

HISTORIA NAVALIS.

Autore THO. RIVIO, *Regis in* Anglia Advocato.

Spes orbis terrarum ad ratem confugiens remisit sæculo semen nativitatis. lib. Sapient. *cap.* 14. *v.* 6.

LONDINI:
Typis THO. HARPERI.
MDCXXIX.

16° Januarij 1628.

regione ad Lampsacum stativa habente. Duces erant Atheniensium, inter alios, Conon & Philocles: quorum Philocles quidem populo persuaserat, ut quotquot illo bello ex hostibus caperentur, iis dextræ manus pollex præcideretur; ut eo supplicii genere mulctati, hastam non ferre, remum tractare possent. Quum ex adverso collustrarent classes, primo die utrinque cessatum à pugna est; sequente, suspenso omnium animo præ aliis expectatione erant. At Lysander, quum classem hostium in loco deserto & importuoso, sine præsidio, sine vigiliis nocturnas stationes habere ex transfugis comperisset, majus aliud consilium animo struebat.

Ferunt Alcibiadem, cum in illis locis sedem exilio delegisset, fama classis Atheniensis ad Ægospotamos stantis excitum, cives nuper suos salutandi causa, ad mare descendisse. Quumque locum alioqui intutum, nullis insuper operibus munitum, & nec stationes nec excubias more militari habitas, Lysandrum vero hostem classem non contemnendam in vicino tenere comperisset, eos publicè privatimque quanto in periculo versarentur admonuisse; sed quum probra ei undique ingere-

ren-

tentur, & inter cætera: vocem exulis inter cives audiendam non esse, succlamatum esset, tristem abijsse: illud modò præfatum, aut se belli hoc genus, hostem hunc, & Lysandrum ducem ignorare, aut nobiliores brevi clade Atheniensium Ægospotamos futuros, quam pridem Syracusæ fuerant.

Itaque Lysander nauis simul & navarchis, tanquam prima luce pugnaturus, mandabat, ut summo mane, firmatis cibo corporibus, naves omnes conscenderent: ibique ordine & silentio servato, in armis ad subita imperia intenti starent. Postero die Atheniensibus pro more adnavigantibus, & ad pugnam cum convicio & clamore provocantibus, Lysander missis undiquaque lembis, quales ad obeunda in mari ministeria haberi solent, severissime iussit edixit, ne quis stationem excederet, aut contra hostem iniussus pugnare auderet. Quum sub vespere sessi stando recessissent Athenienses, Lysander non prius suos è navibus dimisit, quàm binæ ternæve naves, quas speculandi causa mittere solebat, hostem navibus suis egressum renunciassent: idem postridie, tertio etiam, & quarto die facti-

rabat, nec quicquam prætermisit, quo sui contemptum, & ultimi metus opinionem hostibus confirmaret.

Quinta demum luce, quum post varia ignaviæ & timoris jactata probra Athenienses sub vesperam se recepissent, Lysander speculatoriis navibus pro more emissis mandavit, ut quum certò perspexissent hostes navibus suis penitus egressos, quam possent celerrimè ad se revocarentur; & ne quid temporis in reditu, totum traiectum conficiendo, perderetur, quum in medium pervenissent, signum tollerent. Ipse interim navarchos & triremium præfectos, navigio circumvectus, monet, hortatur, ut signum intenti expectarent. Dato signo, ut summa vi hostem invaderent; adesse tempus, quo tot tantasque Atheniensium iniurias ulciscantur, & viginti septem annorum bello manum ultimam imponant. Nec dum finem loquendi fecerat, quum è navibus speculatoriis signum quod convenerat sublatum conspexit: quo viso, è nave prætoria signa canere iussit. Extemplò ruunt omnes è portu, & citatissimo cursu, quantum remis velisque contendere valebant, transmisso

freto

freto, claſſem hoſtilem vel in ſalo ſtantem, vel ad terram ſubductam, ſed nullo prorſus præſidio munitam invadunt. Primus à terra, hoſtilem claſſem adventare ſenſit Conon, è Ducibus Athenienſium vnus; is quantùm potuit ſocios ad claſſem revocabat; ſed fruſtra. Statim enim navibus egreſſi, per agros commeatum quærendo palati fuerant; ipſe cum octo navigijs, medijs hoſtibus elapſus, Cyprum ad Regem Enagoram profugit, ſeque ad meliora patriæ ſuæ tempora reſervavit. Reliquam claſſem adortus Lyſander cepit: viros partim in præſenti trucidabat, partim poſtridie trucidandos aſſervabat: inter cæteros Philoclem; prius tamen interrogatum, quam pœnam meritum exiſtimaret, qui tam diri decreti (cuiuſmodi illud erat, ſuperiùs memorauimus) author fuerat: cui ille, non te, inquit, O Lyſander iudicem ſed victorem agnoſco: & ne fortius loquutus quam ſecum videretur, cervicem præbuit. Lyſander, cæſis cum Philocle tribus millibus Athenienſium, direptiſque terra marique caſtris, ad tibiæ cantum Lampſacum revertit: quùm rem maximam minimo labore, & longiſſimum bel-

bellum, unica hora confecisset. Inde Athenas vela facit: muros dirult. Quum in Concilio sociorum, *delendane essent Athenæ*, quæreretur, nec decisent qui urbis solum in pascua vertendum esse dicerent, negabant Spartani se, è duobus Græciæ oculis, alterum eruturos.

Incidit hæc pugna & Athenarum ab ea excidium, in annum decimum nonum ante captam à Gallis Brenno duce Romam, ut vult Polybius: decimo item nono, eodemque ultimo Darij cognomento Nothi Persarum Regis à Troiæ excidio, septingentesimo septuagesimo nono; ab orbe verò condito, ter millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, si Philippi Melanethonis iudicium sequamur. Cuius calculi quoniam parum mihi constat ratio, ideo autorem pro re posui: haud ignarus, quantum Scaligerus, Petavius, Gualterus Raleighius nostrâs, fœlicioris ingenij quam fortunæ vir, aliique Chronographi, et ab illo, & inter se, hac de re discrepent.

Libri primi Finis.

Sit laus Deo.

Errata.

DOcet dele? pag.9. Corfeu lege Corfou p.19. circumfluum l.circumfluam p. 22. indicio l. iudicio p.30. Himerum l. Himeram p.52. trepidò l. trepidè p.59.liberavit l.liberaret 65.optimo l.optime ibid. singulos l. singulas p. 73. conſpectu l. coſnpectump.77. longa l. longæp. 80. à quo l. à qua p. 82. ferires l. ferire p. 86. admiterentur l. adnitereutur p. 89. excentionem l. exceaſionem inſolertiam l. inſolentiam p.93.in quam l. in qua p.94.non finitimis l. cum finitimis p.101.feſtinaret l. feſtinarent p.114. nunc erant l. nunc eant p.122.indicij l. iudicij p.123.ac eam l.ad eam p.145. munerantem l. numerantem p.144.